

## Werner Rolevink: De regimine rusticorum.

Über das Leben und die Schriften des Kölner Kartäusermönches Werner Rolevink (geb. 1425, gest. 1502) handelte zuerst ausführlich H. Wolffgram in der Zeitschrift für vaterländische Geschichte (Bd. 48 u. 50), einer Publikation, die den meisten Lesern des Jahrbuches leicht zugänglich sein wird. Man kann noch L. Troß' Ausgabe von Rolevinks „De laude Westphaliae“, Köln 1865, den Artikel über Rolevink in der Allgem. D. Biographie und die Dissertation von M. Elsner, De vita et scriptis Werner Rolevink, Breslau 1872, hinzunehmen.

Werner Rolevink wurde im Jahre 1425 als Sohn eines besser situierten Bauern zu Laer im Kreise Steinfurt geboren, besuchte die lateinische Schule, (wahrscheinlich) zu Münster und studierte von 1444—1447 in Köln, wo er der juristischen Fakultät angehörte. Im jugendlichen Alter von 22 Jahren trat er in das Kartäuserkloster zu St. Barbara in Köln ein und hat — abgesehen von einzelnen Reisen — seine Zelle nicht wieder verlassen. Mit „unglaublichem Wissensdurst“ begabt, ragte er bald durch seine theologischen Kenntnisse hervor, so daß er vor dem Erzbischofe und auf Synoden und Ordensversammlungen oft Vorträge hielt und innerhalb seiner Kreise einflußreicher Mann wurde.

Der Sechzehnjährige erlag im Jahre 1502 einer Pest, welche auch in sein Kloster gedrungen war.

Rolevink hat eine große Anzahl gedruckter und ungedruckter theologischer und praktisch-religiöser Schriften hinterlassen, von denen einige, wie die Formula vivendi Canonicorum, der libellus de venerabili sacramento, die sermones de presentatione beatissimae Mariae eine Anzahl Auflagen erlebt haben. Viele blieben Manuscript, worunter die umfangreichen Komment-

tare über die Briefe des Paulus, mit denen Rolevink sich in den letzten Jahrzehnten seines Lebens hauptsächlich beschäftigte.

Weitverbreitet wurde in über 40 Auflagen sein Fasciculus Temporum, eine Art Weltchronik, aus Kirchenschriftstellern und Chroniken zusammengestellt.

Rolevink soll seine westfälische Heimat nach seinem Eintritte ins Kloster nicht wiedergesehen haben. Aber nachdem er einige Jahrzehnte in seiner Klause gelebt hatte, müssen die Geschichte und die Zustände seines Volkes im engeren Sinne seinem Geiste oft nahe getreten sein.

Dies bezeugen außer der Schrift „De origine nobilitatis“ und „De origine Frisonum“ besonders zwei von seinen Büchern: Zunächst das „Buch vom Lobe des alten Sachsens, nun Westfalen genannt“. Vor 1475 verfaßt, erschien es zuerst 1488. Von Rolevink wurde es nur dies eine Mal herausgegeben und die Ausgabe dann, angeblich wegen der vielen Druckfehler, wieder zurückgezogen. Später, von 1500 ab, hat man es oft abgedruckt. Wertvoll sind darin die Angaben über das Verhältnis der Edelleute zu den Bauern und die Anekdoten über die Westfalen, besonders über die Leibeignensöhne in der Fremde.

Dann der hier abgedruckte „libellus de regimine rusticorum“. Nach Denis, Supplement zu Maittaire's Annales Typographiques, S. 648, erschien die erste Ausgabe im Jahre 1479 bei Quentel in Köln. Es kamen noch fünf andere heraus, alle ohne Druckjahr. Der mitgeteilte Text folgt der Ausgabe, die in Köln ohne Jahr bei Bartholomeus de Unckel erschien und vermutlich in das Jahr 1483 gehört.

Von einzelnen dieser Ausgaben besitzen die Königliche Bibliothek in Kopenhagen, die Universitätsbibliothek in Kiel und die Paulinische Bibliothek in Münster je ein Exemplar. Das von mir abgeschriebene Exemplar gehört der Bibliothek des Ratsgymnasiums in Osnabrück.

Eine Inhaltsübersicht über das Regimen rusticorum gab Wolffgram a. a. D. S. 137—148. Wenn er meint, die Vorboten der Bauernunruhen des 16. Jahrhunderts hätten den Kartäusermönch zur Abfassung der Schrift getrieben, so ist er im Irrtum. Rolevink sieht alles, was die Kirche in ihrer Verbindung zuerst mit dem römischen, dann mit dem mittelalterlichen Staatswesen der einzelnen Länder geschaffen hat, als eine

vollkommene Ordnung an, an der Gott im Himmel seine Freude hatte und hat keine Ahnung, daß sie je gestürzt werden könnte. Ihn treibt nur die Liebe zu den Seelen seiner bäuerlichen Brüder und Landsleute, die er in mancherlei inneren Nöten sieht, nicht zum wenigsten infolge ihres Verhältnisses zu den Ministerialen und Fürsten, dessen Entstehung ihn daher wiederholt beschäftigte, ohne daß er dieselbe recht begreifen konnte oder durfte. Er vertritt ein Ideal, wie es mit den Landleuten innerhalb dieses mittelalterlichen Systems stehen müßte und auch wohl einmal gestanden habe. Er wünscht seinen hörigen Landsleuten eine Reihe von Eigenschaften, die wohl erst im 18. Jahrhundert bei den Evangelischen und dann auch bei den Katholischen hier und da zur Wirklichkeit wurden, die wir im 19. Jahrhundert noch bekannt haben und die jetzt unter dem Druck fremder von oben und unten herzutretender Lebensanschauungen wieder zu verschwinden drohen.

S. Jellinghaus.

---

[Bl. A 2.] *Incipit libellus de regimine rusticorum, qui etiam valde utilis est curatis, capellanis, drossatis, schultetis ac aliis officiariis in utroque statu presidentibus.*

Misit dominus deus Adam de paradiso voluptatis, ut operaretur terram, de qua sumptus est. Scribitur Genisis III. Cogitanti mihi, quid dilectis fratribus et cognatis crebro pulsantibus<sup>1)</sup> offerrem pro verbo edificationis venit in mentem pulcherrimus ille tractatulus sancti doctoris Thome de Aquino de regimine principum<sup>2)</sup> quem regie majestati vir nobilis et urbane eloquentie summa edidit elegantia quasi suis sua loquens, utique magnus magnis magna, gloriosus gloriae gloria, sicut dignum erat tante celsitudini.

Ast ego pauper et exilis creatura dei nescio qua sorte raptus de aratro sacrisque literis applicatus,<sup>3)</sup> cum hoc exemplo meis mea loqui vellem, parvus parvis parva in predictum fleabilem sermonem deflexi dicens: „Emisit dominus deus Adam de paradiso voluptatis, ut operaretur terram, de qua sumptus erat.“ Terram utique limosam et sterilem terram reprobam et maledictam dicenti domino ubi supra ad Adam: „Quia audisti vocem uxoris tue et come-

disti de ligno, ex quo preceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo. In laboribus comedes ex ea cunctis diebus vite tue. Spinas et tribulos germinabit tibi et comedes herbas terre. In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua sumptus es, quia pulvis es et in pulverem reverteris.“ Et quamquam simul tota humani generis propago hanc duram experitur miseriam, nulla tamen a deo sicut mea, hoc est rusticana, que pene ab ipsis cunabilis morti ultra ceteras destinata cernitur.<sup>4)</sup> Sed ne nimia tristitia absorbeatur, aliqua hic consolatoria et informatoria ex sanctorum patrum dictis colligere disposui, quibus una cum ceteris exhortationibus quotidianis<sup>5)</sup> spem habeat et modum inveniat per temporalia detrimenta felicitatem mercandi sempiternam.

Primo igitur debet quilibet fidelis agricola deum timere et firmiter credere, quod omnia opera sua quantumcunque etiam minima ab omnipotente deo copiosa mercede premiabuntur in celis, si permanserit in simplicitate et voluntate bona.

Debent etiam honorare officium suum tanquam a deo institutum et hilariter exequi ea, que ad ipsum spectant.

Item debent humiliter dominis suis obedire.

Item decimas et pensiones ac cetera debita fideliter solvere.

Item solemnitates et jejunia ac ceteros ritus ecclesiasticos devote observare.

Item elemosinas pauperibus, quantum facultas permittit, elargiri.

Item cum omnibus hominibus et precipue cum vicini et contribulibus suis pacem servare.

Item familiam suam laudabiliter regere.

Item cavere se ab omni occasione mali.

[Bl. A 3.] Item niti ad bonum nomen et probam famam apud proximos suos.

Item cavere se a societate mala et consortio potentium et jurantium ac omnium, qui sine timore dei vivunt.

Item sedule discutere conscientiam suam et crebro confiteri.

Item sepius meditari de preceptis dei et observacione eorum et ut in recta fide ambulet.

Item cogitare frequenter de morte et brevitate hujus vite et assuescat crebro invocare dominum deum bonis simplicibus verbis, ut eum dirigat in omnibus et ad eterna tandem gaudia perducat.

Hec sunt, que unumquemque christianum sanctificant, sine quibus cristianum nomen nulli prodest. Hec sunt, que hominem de terra ad celum levant, que homini deum reconciliant, que proximum edificant, que ad felicem transitum properant. Verum quoniam rusticana simplicitas nonnumquam ignorat, quomodo hec fieri debeant, ideo per singula redeundo latius aliquid de hiis loquamur.

„Inicium sapientie timor domini.“ Scribitur psalmo centesimo decimo et Proverbiorum primo et nono et aliis locis multis. Et „qui sine timore est, non potest justificari.“ Ecclesiastici primi. Hec et similia debet advertere quilibet fidelis rusticus, ymmo et omnis cristianus et a peccato recedere. Quod si aliquis ita simplex fuerit, ut dicat: „Non scio timere deum, nescio quid sid hoc,“ talis debet informari hoc modo: Primo queratur ab eo, an aliquid sit in mundo, quod timet amittere vel incurrere. Et respondebit procul dubio, si aliquem usum rationis habuerit, quod quotidie ista sollicitudine anxietur, ne perdat bona, que habet et ne superveniant ei mala, que solent homines sine intermissione vexare. Habet forte pauca bona, que timet amittere, sed multo plura sunt mala, que timet incurrere. Ecce utrobique occasio timoris, sed secunda est incomparabiliter major, quam prima et equaliter universos perstringit. Secundo quaerat, an credat, quod deus sit universalis paterfamilias omnium, qui sunt in celo et in terra et an omnia sint nuda oculis eius et an sit justus iudex retribuens singulis juxta opera sua. Tercio querat, an habeat fidem

de celo et inferno et quod in celo sint sola summa bona et inferno sola summa mala. Item quod justis dantur praemia celestia, exprobis vero tormenta infernalia sine fine mansura.

Si hec se credere dicat, tunc instruatur, quomodo comparare debeat temporalia ad eterna, videlicet quod hec omnia, que hic videmus aut excogitare possumus, bona nihil sunt respectu futurorum. Similiter omnia, que hic patimur mala sive excogitari possunt, quamvis sint revera horrenda nimis, tamen respectu penarum infernalium non sint, nisi quedam suavia preludia futurorum. Hiis admonitionibus si aliqua adjuncta fuerit fides, absque dubio facilime timorem domini suscitabit in corde humano. Qui vero hiis compunctus non fuerit, fidem non habet, quamvis se habere forte putet, sicut multi fatui putant se esse prudentes, quamvis non sint.

Hoc fundamento posito ulterius est informandum homo simplex et bone voluntatis, quatenus plus timeat dominum deum suum offendere propter suam naturalem bonitatem quam extortam severitatem, quia in veritate sic est [Bl. A 4], quod dominus deus in se et ex sui natura totus bonus, suavis, largus et clemens est. Quod autem severus est, nostra peccata faciunt et quodammodo cogimus eum, ut nos affligat. Hinc exivit proverbium: Si faceremus, quod debemus, deus faceret, quod vellemus. Sed quia facimus, quod nolumus<sup>6)</sup>) cogimur pati, quod nolumus. Exemplum hujus habemus in aliquo probo et virtuoso viro habente officium regendi aliquam communitatem. Hunc omnis homo diligit, quia vident, quod omnibus prodesse cupit, nulli obesse. Et qui talem non diligit, est valde perversus. Nam omnis populus acclamat eum esse merito diligendum. Iste faciliter neminem punit aut permittit affligi, nisi omnino delinquens se nolit emendare. Sic dominus deus, a quo bona cuncta procedunt, super omnia est diligendus, quia nil bonitatis est in creaturis, quod ab ipso non sit. Studeat ergo homo simplex crebro ad memoriam revocare, quod deus eum ubique videt, multo clarius quam proximus suus, coram quem peccare erubesceret, ut hac manuductione

paulatim crescat in timore dei, ut ad illum gradum perveniat, quod, si etiam deus non vellet eum punire, tamen adhuc non vellet peccare aut offendere tam pium patrem. Hic vocatur filialis timor, quia, qui istum habet, inter filios dei computatur et timet, ne vel in modico oculos amantissimi patris offendat. Timor autem servilis est, quando aliquis propter penam sive temporalem sive eternam abstinet a peccatis et in tali adhuc manet peccandi voluntas, si speraretur impunitas. Ille timor non est filiorum dei, sed malorum servorum qui non faciunt bonum nisi coacte. Et quamvis non sit meritorius eterne vite, tamen introducit filialem, sicut cera filum. Est etiam notandum, quod sancti viri solent crebro ante oculos suos ponere penam dampnatorum, tamen propter hoc non sunt mali servi judicandi, quia hoc faciunt ad piam cautelam. Unde dicit beatus Iheronimus: „Dum penam timeo, servo gratiam, quam accepi.“ Facile enim quaelibet temptatio vincitur, dum futurae calamitatis acerbitas, que pro peccatis debetur, anxia mente providetur. Siquidem, ut ait sanctus Gregorius: „Momentaneum, quod delectat, eternum, quod cruciat.“ Item beatus Augustinus: „Heu quam male peccator decipitur! Semel fornicatus est et in eternum ardebit.“ Hinc beatus Iheronimus rursum dicit: „Quotiens diem illum considero, toto corde contremesco. Sive enim comedo sive bibo sive aliquid facio, semper videtur illa tuba terribilis<sup>7)</sup> sonare in auribus meis: „Surgite mortui, venite ad iudicium.“<sup>8)</sup> Ast econtra peccatores obstinati nolunt timere et quicquid eis de hiis dicitur, parvipendunt aut respuunt, donec mors improvisa eos rapit ad supplicia horrenda, tunc timent, gemunt, dolent, contremiscunt, sed infructuose. De quibus tale fertur exemplum: Miles quidam valde perverse vite uxorem habuit devotam. Hec virum sepe monuit, quatenus vita mala postposita sue anime salutem, dum tempus haberet et misericordiam consequi posset, in timore dei operaretur. Cui ille: „Num tu sic fatua es, ut illis papis credas, qui talia deliramenta fingunt, ut a populo [Bl. A 5] denarios extorqueant. Neque infernus est neque vita aliqua post istam.“ Quid plura? Ventum est ad mortem et ecce infelix ille exanimis in lecto iacens nigram

cartam in manu habuit, in qua sic scriptum fuit: „Iam certus sum, quod infernus est.“ Ecce karissimi, perpendite cordialiter, in quanta tormenta jam sit, ubi et eternaliter necesse est ipsum permanere.

Rursum de sancto Arsenio<sup>9)</sup> longe aliter legitur:

Hic vir sanctus de nobili Senatore romano ac divite patricio factus erat hermita sanctus et pauper rusticus. Dicebatur namque teste beato Theronimo heremitica illa solitudo sancta rusticitas. Siquidem cum in palatio imperiali summo fungeretur honore, vocem divinitus elapsam audivit: „Arseni, fuge homines et salvus eris.“ Quo facto statim ad heremum perrexit. Ubi quante perfectionis fuerit, nec ipsi aut intelligere aut scribere potuerunt, qui eum ibidem neverunt. Inter cetera autem spiritualia exercitia magnifica, quibus excellenter claruit, sic maxime deum timuit, ut a solis ortu usque ad occasum sepius a lacrimis non cessaret. Cumque et in hora mortis a fletu nequaquam se temperaret, dixerunt ei fratres: „Et tu pati adhuc times?“ Quibus ille: „Vere timeo et valde timeo, quia quamvis in mandatis domini a juventute ambulaverim, tamen nondum scio, qualiter a districto judice opera mea judicabuntur.“ Et hiis dictis in fletu usque ad exitum permansit. Sed jam sancta ejus exeunte anima et protinus in celum evolante quidam sanctus pater, qui in spiritu hoc vidi, voce magna post eam clamavit dicens: Beatus es, Arseni, qui tantum te flevisti! Eya, venerabiles, huc accedite et diligenter advertite vos omnes rustici hujus tanti patris exemplum, ubi nam tante sanctitatis pondus meruerit in urbe aut in rure, vos multa ex paterna habetis educatione, que ipse tam laboriose quesivit, videlicet laboris assiduitatem, victus vestitusque, utilitatem ceteraque penitentie sancte exercitia humano generi divinitus imposita, que curialibus et delicatis difficilima videntur, vobis autem jam per assuefactionem facilima facta sunt. Cur ergo non respicitis, quam prope sitis saluti, si timueritis deum et in mandatis ejus ambulaveritis. Ecce quod gravius in spirituali conversatione judicatur, vos pro nihilo et quasi naturaliter consequuti estis: vigilare, laborare, carnem affligere, petulantes motus ejus comprimere, cibo grosso vestituque inculo vitam transigere,

omni humane creature propter deum subici praecipua sunt sacre religionis exercitia et qui in hiis amplius floruerunt, glorirosores sunt in celo et in terra nunc et in sempiternum. Hec si vultis, vobis sunt possibiliora pre cunctis hominibus. Deum quoque timere similiter sine omni doctore eque faciliter discitis ex quotidiana subjectione dominorum vestrorum, qui vestris cervicibus minantur sine intermissione, parati, pro quibuslibet eciam levibus erratis [Bl. A 6] multas imponere graves. Si inquam tanto pavore necessarie habetis coram mortalibus principibus conversari, ne videlicet causam habeant nocendi vobis sive in rebus, quanto magis coram immortali omnium deo sollicite ambulare debetis, qui intus et foris jugiter vos intuetur, ne, si, quod absit, coram tanta majestate peccare non vereamini, mittat vos cum corpore et anima in jehennam ignis? Facile arbitror vobis ista persuaderi potuerunt, si aliquam scintillam bone voluntatis habueritis. Attendite, quam miserabile est hic tantis affligi doloribus, laoribus, opprobriis et vexacionibus continua, post pejus incomparabiliter tormenta. Hic habere purgatorium et postea infernum. Audite ergo venerabilem patrem vestrum sanctum Thobiam, quomodo vos doceat, ut omnia mala evadere possitis. „Servite, inquit, domino in timore et veritate et requirite, ut faciatis omnia, que placita sunt illi.“ Pauperem quidem vitam geritis, sed habebitis multa bona, si timueritis deum et recesseritis ab omni peccato et feceritis bene. Quod vobis concedat omnipotens et benedictus deus. Qui cum unigenito filio suo domino nostro ihesu christo vivit et regnat in unitate spiritus sancti deus in secula benedictus Amen.

Secundo debet quilibet fidelis agricola firmiter credere, quod omnia opera sua quantumcunque etiam minima ab omnipotente deo copiosa mercede praemiabuntur in celis, si permanserit in simplicitate et voluntate bona. Hic proch dolor plures deficiunt rustici et precipue illi, qui sunt ceteris pauperiores sive despectiores, putantes, quod, sicut sunt apud homines nullius reputacionis, sic eciam apud deum et ob hoc ad nil se vocatos arbitrantur, nisi ut sint

eternaliter infelices. Ab hac mala humilitate revocat nos spiritus sanctus Sapientie VI dicens: „Pusillum et magnum ipse fecit et equaliter cura est illi de omnibus.“ Et psalmus: „Ne avertas homines in humilitate.“ Ubi dicit quedam glosa: „Mala humilitas, quando sic viliter<sup>10)</sup> de se homo sentit, ut putet se derelictum a deo et nunquam meliora posse consequi ab eo. Quamvis enim vile corpus circumferimus, anime tamen nimis preciose sunt, pura ad ymaginem dei ac similitudinem creature. Unde ne anime nobis vilescerent, filius dei se ipsum in premium animarum dedit. Hic attendite vos omnes, qui viles estis in oculis vestris et despecti in hoc seculo et nolite desperare! Ecce pro vobis deus homo factus est. Non utique homo gloriosus dives ac perpotens, sed obprobrium hominum et abjectio plebis factus per omnia similiter vobis et plus quam vos pauper et despectus. Non regum pallatia, non aulas principum, non castra nobilium, non civium delicata cubilia, sed pauperum et abjectorum rusticorum elegit stabulum. Cur ergo desperatis, o pauperes, cur contristamini, o gloriosi contribules angelorum ac pernobiles summi regis hospites? Cur inquam musitatis, quasi deus oblitus sit vestri, cum in omnibus et super omnes vos quesivit, invenit et exaltavit, divites dimittens inanem? O si vestram intelligeritis [Bl. A 7] dignitatem ac singularem erga vos divine gratie munificentiam, non sic mortifera tristitia absorberemini, quin potius, quanto in hoc seculo per momentum temporis plus ceteris vanis hominibus abjectiores videmini, tanto magis gaudere debueritis quasi dei filio conformiores et per consequens in futura gloria sublimiores. Hec namque est certissima omnium catholicorum doctorum regula, quod quanto est quivis similior Christo in presenti mortali vita, que velociter transit, tanto erit et similior in illa superna gloria, que durabit in eternum. Hanc salutarem similitudinem in multis vos ultra omnes alios hereditario jure possidetis. Neque dicetur vobis a districto judice, quod receperitis quedam bona in hac vita, sicut olim dives ille epulo, de quo dicitur Lu. 16, qui nunc cruciatur apud infernos, sed audituri estis cum fideli Lazaro, quod hic mala recepistis non sine justo dei judicio,

quia forte aliqua peccata admisistis, que caminus paupertatis examinat nunc, ut tunc cum ipso in deliciis perpetuo mansuri consolemini. Quam paterne igitur vos hic ad modicum castigat, attendite, ut in eternum parcat et quam severe irascitur hiis, quibus cuncta ad votum largitur, quoniam ab illa mercede sanctorum vacui remanebunt. Verissima namque est summa beati Bernardi ac aliorum sanctorum patrum plurimorum, quod nemo potest hic gaudere cum seculo et illuc regnare cum Christo. Et dominus ipsemet in evangelio dicit suis electis discipulis et in eorum persona aliis omnibus predestinatis: „Nolite mirari, si odit vos mundus, quia me priorem odio habuit.“ Item: „Qui vult venire post me, abneget semetipsum et tollat crucem suam quotidie et sequatur me.“ Sed forte dicetis mihi: Nonne sunt multi solemnes viri in hoc seculo pariter et femine honore et divitiis referti et tamen bone spei? Numquid omnes damnabuntur? Nunquid soli miseri salvi erunt? Nonne Karolus<sup>11)</sup> ac multi reges, duces, comites, nobiles, militares, civesque innumeri sancte vixerunt et tamen statum mundi tenuerunt? Hec et alia similia infirma et imperita sibi proponit anima, ut suam, si posset, justificaret impacientiam ac per consequens, si auderet, divinam inculparet providentiam sacramque scripturam et sanctorum exempla calumpniaretur hec aut similia dicendo. Mallem et ego talia loqui cum divitibus et potentibus quam hec cum pauperibus perpeti. Facile est in deliciis corporisque rerum<sup>12)</sup> de pacientia et jejunio, fame ac labore contemptuque et oppressione multa verbotenus persequi, sed non eque facile est ista tolerare. Fateor et ego ita esse. Sed numquid qui in sublimitate et deliciis esse videntur, omnino expertes sunt omni tribulacione, temptatione ac labore? Ymmo vere, si in timore dei ambulare voluerint, plus quam pauperes affliguntur. Norunt experti, quam verum sit, quod quicquid foris eminet, plus merore afficitur quam gaudio recreatur. Sed istud miseri advertere nolunt aut non possunt. Putant enim sic esse apud alios, sicut imperite suspicantur. Jam enim certissime dictum est: Nemo potest hic gaudere [A 8] cum seculo et post regnare cum Christo. Quia si electi quidam aliquid hic plus participant de divitiis et statu hujus vite

quam deberent, oportet per gravem penitentiam delere aut horrendam purgatoriis penam recompensare, que utique sic maxime afflictiva est, ut omnis presentis vite tribulatio illi comparata quasi punctura iunci sit reputanda. Ab hac ergo occasione labendi in divitiis et honoribus temporalibus facilima utique pauperes et inglorii sunt preservati, et pene contra solum impatientie vicium dimicare habent. Quod quidem facilius vincunt quam divites oblatos honores aut paratas delicias sive alia queque incentiva viciorum, etiam si nil aliud pati haberent. Quia sicut philosophus dicit et quotidiana experientia docet: Non sine magna virtute arridens fortuna tollerari potest. Adversa autem propter assefactionem tanquam connaturalem huic vite pene a cunctis hominibus maxime deum timentibus sano corpore ac mente sensata equanimiter sufferibilis est. Hinc inter timoratos viros tamquam verissimum exxit proverbium, quod nedum in corporalibus sive secularibus sed etiam spiritualibus exercitiis plures ceciderunt prosperis elati quam adversis fracti. Quid enim tam inimicum est probis moribus sicut ocium in deliciis et ventosa hujus mundi sublimitas? Et quid tam securum ac bone vite conservativum sicut justus labor cum frugalitate et contemptu mundanarum vanitatum? Hec merito quoslibet simplices et pauperes rusticos consolari deberent, dum intelligunt se eo amplius a deo dilectos, quo sobrius eis hec temporalia largitur, que multis fuerunt causa dampnacionis eterne. Sed heu proch dolor contingit nonnullus, quod olim sublimis quidam orator Hanibali improperavit dicens: „Vincere scis Hannibal, uti victoria nescis.“ Ita et nos de quibusdam rusticis hujus temporis dicere possumus: Vincere scit rusticus, uti victoria nescit. Quod quamquam sit perspicuum ex parte, jam dictum est, cum velint nolint hujus mundi careant prosperitate et tamen miserabili quadam negligentia a viciis non abstineant nec ad virtutes perveniunt, quod prae ceteris omnibus facilius possunt. Hoc dominus per prophetam increpat dicens: „Percussi vos et non redistis ad me etc.“ Sed hos dimittamus, quos nullus divinus metus aut flagellum inflectere potest et ad illos revertamur, quos exhortari suscepimus, qui talento bone voluntatis perditи vias rectas

ingredi volunt. Ipsi namque sciunt, quod totum humanum genus ob demerita sua projectum est ab illis summis deliciis in hanc erumpnosam vitam et tribulationem continuam, ubi nullus unquam ad libitum omnia habere potuit aut tam diu vivere, quam diu concupivit. Sciunt etiam, quod afflictio ista medicinalis est et a spirituali morte, id est peccatis, preservat et aperte vident illos, qui in deliciis vivunt, aut vix aut nullo modo posse a viciis abstinere. Sciunt denique, quod omnes sancti, quorum gloria memoria est in ecclesia, a primo usque ad novissimum, [B 1] per hanc viam innumeris temptationibus probati transierunt fideles et sic tandem perfecti amici dei facti sunt. Sciunt insuper, quod ista non casualiter aut fortuito aguntur in hoc mundo, quod sic dissimiliter administratur genus humanum, vide-licet quod unus est pauper, alter dives, unus gloriosus, alter contemptus, unus sanus, alter egrotus, unus fortunatus, alter infaustus, unus acutus, alter simplex, unus praelatus, alter subjectus, sed cuncta juxta divine providentie regulam equissime et optime disponuntur. Sciunt denique et caute advertunt, quod, sicut seipso facere non potuerunt, sic nec in esse conservare nec ea, quibus indigent, creare, sed omnia de largissima domini manu expectare habent, qui pascit universa, que condidit et implet omne animal benedictione, cui nemo dicere juste potest: Cur sic facis, cum nulli debitor sis nec nullius opus habes? Sciunt denique, quod nullus potest immutare decretum divini consilii super genus humanum et quod nemo unquam melius habuit, qui scrutator esse voluit majestatis aut impatienter reniti contra manum omnipotentis, quinymmo tales in pejus semper pro-lapsi sunt, sed illi soli cunctas miserias evadere meruerunt, qui divino sceptro suas cervices humiliter submiserunt benivole et longanimiter expectantes, donec divina bonitas emplastrum paterne correctionis, quod posuit, tollere dignetur nec quicquam aliud cupiunt. Dicamus ergo, quod nullus pauper bone voluntatis homo sic de se desperabiliter sentire debet, quasi deus de ipso non curet pro eo, quod in hoc seculo contempnitur. Aut quasi opera sua bona deo non placeant aut meritoria non sint, quia nihilo reputantur a stultis amatoribus mundi. Sed sicut jam dictum est eo am-

plius a deo se diligere firmiter credat ac magis opera sua in futuro renumeranda sciat, quo minus reciperit bona temporalia in vita ista. Formet denique fidelis agricola sive alius operarius quicunque intentionem suam ad deum per hunc aut consimilem modum: Gracias ago tibi, domine creator universorum, qui me ex nihilo fecisti et usque in hanc horam clementer conservasti et vires cum bona voluntate tribuisti, quatenus juxta praeceptum tuum in sudore vultus mei vescar pane meo, te nunc ex toto corde rogo, ut dirigas me in omnibus operibus meis, sed precepta tua et intentionem cordis mei sursum trahe, ut sint mihi labores hujus peregrinationis in remissionem peccatorum meorum et meritum eterne vite. Amen.

Quicunque hoc modo procedit et in omnibus, quod facit, deo placere cupit, scire debet, quod a bono deo nuncquam separabitur, sed magnus sanctus in regno superno erit. Si enim ipsa veritate testante nec calix aque frigide porrrectus pro deo erit sine mercede, quid pro tantis sudoribus, vigiliis, frigoribus, caumatibus, necessitatibus curisque diurnis et nocturnis [Bl. B 2] ac ceteris sine numero miseriis, quas fidelis quilibet rusticus tolerat ab ineunte etate usque ad decrepitam senectutem, quid inquam retribueretur pro illis? Certe illa premia dabuntur, que nec oculus vidit nec auris audivit et utique in tam justissima mensura, ut nihil omnino manebit irremuneratum, quantumcunque modicum etiam fuerit sive factum sive patienter toleratum pro benefacito divine voluntatis. Unde patet, quod, sicut dicit beatus Bernardus, quod labor sanctus est etiam, si immediate pauperibus non impendatur, sed proprie necessitati subveniatur.

Et sicut habet duplē occupationem, carnalem et spiritualem, ita etiam habet duplē mercedem. Nam propter fatigationem corporis debetur ei sustentaculum vite et propter virtuosam intentionem ei debetur merces regni celestis.

Quam vobis tribuat beatus et fidelis deus, qui sine fine vivit et regnat. Amen.

Tertio debet quilibet fidelis agricola officium suum honorare tamquam a deo institutum et hilariter exequi ea, que ad ipsum spectant.

Hic quidam rustici plurimum delinquent, communiter illi, qui ceteris sunt honoratores aut ditiores, superbia tumentes et dolentes, quasi ad vile officium sint a deo vocati, quare eciam variis modis suum statum mutare conantur ad majora anhelando. Sed quid eos sequatur, quotidiana experientia docet. Nam statim ut se altiori convixerint, deo et omnibus hominibus odiosi fiunt, derisioni et contemptui parentes.

Contra quos dignitas rusticana est defensanda et hoc tripliciter: Primo quia a deo est instituta. Secundo quia a natura est principaliter intenta. Tertio quia a celeberrimis viris est plurimum approbata et multipliciter privilegiata. Quantum ad primum est sciendum, quod agricultura pluries est instituta ab ipso summo omnium deo. Nam in statu innocentie dicitur esse instituta per hoc, quod legitur Genesis secundo: „Tulit ergo dominus deus hominem et posuit eum in paradiſo voluptatis, ut operaretur et custodiret illum.“ In statu quoque nature destitute per hoc, quod legitur Genesis quarto: „Emisit dominus deus Adam de paradiſo voluptatis, ut operaretur terram, de qua sumptus erat et cetera.“ Hinc dicitur Ecclesiastici septimo: „Non oderis laboriosa opera et rusticationem ab altissimo creatam.“ Ecce aperta testimonia, ex quibus liquide patet agriculturam pre ceteris mechanicis artibus hanc gratie dignitatem (habere), quod ineffabiliter a deo est instituta. Alie autem omnes aut pene omnes humana curiositate sunt invente, quare etiam nunquam in eodem ritu perseverant, ut communiter tractant sancti doctores nostri super quarto capitulo Genesis, ubi de origine et primis inventoribus mechanicarum artium fit mencio. Insuper salvator noster verus deus et homo, ut opus suum glorificaret, non [Bl. B 3] ex auro vel argento vel lapidibus preciosis aut aliqua alia re curiosa benedictum corpus suum et sanguinem preciosum confici instituit, sed ex materia vere dignissima, scilicet pane et vino, quam simplices rustici in sudore vultus sui parare consueverint. Quod utique merito

cunctis fidelibus agricolis magna debet esse causa leticie et devocationis erga suum officium exequendi.

Secundo dignitas rusticationis ex hoc attenditur, quod est a natura principaliter intenta. Quod sic patet, quia, cum corpus humanum dignissimum sit inter omnia corpora ratione unionis ad animam rationalem et glorificationis future, sequitur, quod omnia alia corpora sive celestia sive inferiora subministrare habent eidem. Cum ergo corpus humanum sine victu et vestitu in esse permanere non poterit et victus ipse et vestitus sine opere rustico non provenit, patet, quod tota machina ad hoc servit, ut domino orbis, id est homini, necessaria subministrentur. Hinc dicit dominus ad Noe Genesis 8: „Cunctis diebus terre sementis et mensis, frigus et estas, estas et hyemps, nox et dies non requiescent. David quoque, cum dominum in operibus suis benediceret et decorem universi laudaret, causam totius intulit dicens: „Ut educas panem de terra et vinum letificet cor hominis.“ Ex quibus patet, quod agricola est precipuus cooperator dei, angelorum et nature. Quamvis enim divina majestas per suam omnipotentiam possit omne hominum genus nutrire et vestire, tamen hoc non vult facere sine coadjutoribus rusticis, ne sint vacua opera benedictae sapientie sue.

Similiter sancti angeli, qui secundum sententiam beati Dyonisii istis inferioribus prelati sunt, ad quorum imperium singula queque diriguntur, quamvis facilime possent aptare unamquamque naturam usui humano ad convenientiam propagationis sue, pro multiplicacione eorundem, nequaquam tamen hoc faciunt sine concurrente rusticana providentia, ne divine institutioni contraire videantur. Natura vero, et si omnibus modis conetur ad conservandam speciem humanam in esse suo, non tamen ad hoc sufficit, nisi rusticorum auxilio periter et industria suffragetur.

Hec omnia adeo sunt nota, ut hiis probandis ulterius insistere super vacuum existimem. Videmus enim et sine intermissione experimur, quam multipliciter humana natura sit serva et quantis indigeat. Et si quibusdam saltem ad tempus carere possit, rusticano tamen fructu nec ad unum diem quendam. Omnium pontificum languet baculus, ruit

mitra arescit, dextra. Omnia imperatorum regumque corona decidit, sceptrum deridetur, purpura concutatur, si rusticana ope non fulciantur. Dux insanit, mollescit miles, delirat sapiens, titubat artifex, status ipse mundi totus deficit, si rusticus agrum colere cessat. Hec qui non credit, abstineat ab hiis, que rusticano sudore proveniunt et sine omni doctore in brevi invenit solutionem verbi.

Tertio agricultura dignitas ex hac perpenditur, [B 4] quod a celeberrimis viris est plurimum approbata et multipliciter privilegiata. Quod sic ostenditur, quia primi nostri parentes, ex quibus totum genus humanum propagatum est, de agricultura et pecorum nutrimento vivebant et quia servos et ancillas non habebant, patet, quod ipsi cum filiis suis et filiabus propriis manibus operi rustico inserviebant. Verum cum de prothoplaustro scilicet Adam et uxore ejusdem Eva non sit dubium, de aliis quibusdam sanctis hominibus exempla colligamus. Et primo de Lameth, qui postquam genuisset Noe, dixit: „Iste consolabitur nos ab operibus et laboribus manuum nostrarum in terra, cui male-dixit dominus.“ Noe quoque, qui hominum secundus progenitor post Adam scribitur, quid post diluvium egerit ex IX capitulo Genesis patet, ubi sic legitur inter cetera: „Cepitque Noe vir agricola exercere terram et plantavit vineam etc.“ Deinde ad gloriosos patriarchas illos tres videlicet Abraham, Ysaac et Jacob scriptura descendens nullos redditus habuisse illos commemorat neque in civitatibus aut villis aut domibus habitasse, sed tamquam peregrinos in casulis id est tentoriis super faciem terre et de agricultura et animalibus vite necessaria quesitasse. Filii quoque Jacob, qui XII patriarche appellantur, quod officii habuerint ex ipsorum confessione patet Genesis XLVI capitulo, ubi dicitur: „Viri pastores sumus ab infantia nostra usque in presens et nos et patres nostri etc.“

Job similiter, vir simplex et rectus, domini benedictione ditissimus effectus fuit de agris et pecoribus nec unquam sua crevit possessio per gravamen proximi, ut ipse testatur in libro suo capitulo XXXI, quin ymmo et manus ejus aperta jugiter ad largiendum erat pauperibus. Moyses quoque, de cuius laude resonat celum et terra,

omnium prophetarum excellentissimus, quamvis in regia fuerat aula educatus, tamen disponente domino, antequam ad divina oracula profecerat, prius in scola humilitatis per XL annos oves Jetro, cognati sui, pascendo exercebatur.

Gedeon, vir fortissimus, dum operi rustico deserviret, frumenta purgando angelo sibi apparente ducatum populi Israel coactus suscepit et hostes dei prostravit. Boos, qui et Abessan, XII judex populi Israel, dum aream ventilat, Ruth Moabitidem sibi despontat, qui in Christi genealogia ponitur. David, vir secundum cor domini, dum oves patris sui pasceret, divina revelatione in regem super totum Israel ungitur. Heliseus, dum in 12 jugis bovum araret et ipse in 12 jugis bovum arantibus unus esset, ut luculenter scriptura exprimit, in gloriosum prophetam pro Helya divinitus eligitur. Amos, pastor et rusticus, licet imperitus sermone, tamen scientia plenus, ut Iheronimus testatur in prologo, subtilissimum texuit oraculum, de pascuis in prophetam assumptus.

De Rechab et Jonadab ac eorum filiis, qui jugiter in agris habitabant ac aliis viris splendidissimis sine numero longum est disserere, qui omnes perigrinationem hanc transegerant justo labore manuum suarum sine tumultu ac pomposo apparatu hujus seculi, contenti [Bl. B 5] fidelibus arvis, celebre nomen posteris relinquunt et exemplum tutissimum.

Neque hoc pretermittendum est, quod etiam apud gentiles olim rusticana frugalitas sumopere colebatur et ad summos honores crebro tunc licet inviti rustici trahebantur. Unde refert Valerius Maximus de Tullio Hostilio. Hunc in cunabilis primo accepit agreste tugurium ejusque adolescentia in pecore pascendo fuit occupata, validior etas imperium rexit, sed senectus ejus in altissimo majestatis fastigio fulsit. Servius Tullius de matre ancilla licet nobilis progenitus strenue romanum imperium rexit, tres montes urbi addens ac ultra predecessores suos fossas rustico more circa muros duxit. Nabuchodonosor, Darius, antequam mundi monarchiam susceperunt, in pascendis pecoribus cum ceteris pastoribus intenti fuerunt. Sicut olim Remus et Romulus. Quintus, inclitus romanus, repertus in rure

ab aratro sumptus est et in dictatorem creatus, qui Romam pene desolatam propter adversos casus magnifice consolatus est triumphis suis. Titus Quintius eciam dictator pari exemplo post cruentissima bella victor fidelis effectus in eadem paupertate qua prius vix, erat permanens, quatuor jugera suis manibus coluit. Curius Marcus, vir digne memorie, quantum paupertatem dilexit, patet ex hoc, quod oblatas pecunias respuit dicens: „Nec acie verti, nec pecunia corrumpi possum.“ Similiter Fabricius, Actilius Regulus, Scipio africanus et alii plures nobilissimi viri ac secundum honestatem secularem probatissimi, quantum justos labores dilexerint et proximi gravamen vitaverint et rem publicam promoverint, nullo possumus stilo commendare. Quod autem hodie pauci reperiuntur, qui tam gloria exempla imitantur, manifestum signum est, quantum hic miser mundus in pejus proficit.

Siquidem superbia, avaritia, luxuria, invidia<sup>13)</sup> et cetera vicia adeo invaluerunt, ut pene vix inveniatur, qui paternos mores ad bonum virtutis et precipue humilitatis spectantes imitari dignetur, nisi forte quem necessitas coegerit extrema. Putant quoque jam homines scandala incurrere, si ea agant, unde olim viri celebres grandem sibi honoris hauserant materiam.

Constat certissime et omnino verissimum est universum genus humanum a propagine rusticana originem traxisse. Constat denique spectabilissimos viros olim ex animo sine omni necessitate rustico operi insudasse, ne arroganter ultra metam primam suorum se levare putarentur aut erubescerent super hoc, unde venissent. Constat rursus nullos imperatores, reges, duces, comites, nobiles, mediocres aut alios quoscunque homines cujuscunque status aut conditionis ab hac lege esse alienos, ut dicere possint sine falsitatis rubore: Nos de rusticis non venimus, aut rusticorum auxilio non indigemus. Et tamen quidam vanissimi homines mortales ac multis calamitatibus expositi ceca mente hoc, [Bl. B 6] quod sunt, esse nolunt, videlicet filii rusticorum nec saltem hoc equanimiter audire volunt. Verum et si hodie potentes quidam et nobiles ita desipiunt, tamen olim

teste beato Augustino V de civitate dei et aliis locis multis multo amplior hec insania principes quosdam occupavit in tantum, quod putabant se non homines esse sed deos. Contrarium dicentes trucidabant nec informatores eorum sanctissimos aliquo modo patienter audire potuerunt. Mira prorsus et miseranda cecitas. Aut ergo gloriosi illi patriarche et prophete ac ceteri viri virtuosissimi erraverunt aut isti. Sed absit, ut sic vanis et levibus hominibus ac omni spurcitia plenis credamus, ut ab illis deo dignis et vere nobilibus viris recedamus, quin potius veracissime dicamus: Si totus mundus taceret, ipsi inter se mutuo per quotidiana convicia, quibus jugiter madent, sibi ipsis et aliis foris innotescunt, quales intus existunt.

Sed hos dimittamus et bone voluntatis rusticos, quantum possumus, confirmare studeamus, ut videlicet advertant, quam grati esse debeant domino deo vocatione sua, quoniam revera non ad vile, sed ad dignissimum inter omnia mechanica officium vocati sunt, quando talium patrum imitatores esse meruerint. Qui vere scire voluerit, qualem prerogativam in novo testamento agricultura habuerit, legat sanctorum hermitarum ac monachorum regulas et inveniet, quod pre ceteris redditibus ac proventibus sanctissimi patres elegerunt de pastu animalium et agrorum fructibus, quos propriis manibus excolebant, vivere tamquam de stipendiis justissimis.

Nec dubium est, quin alios proventus perelegissent, si illos justiores istis reperissent. Hinc beatus Jeronimus rusticitatem sanctam appellat dicens: „O sancta rusticitas, que natos ad labores homines provehis ad celestia mundo ereptos.“ Hanc rusticitatem multi reges, senatores, patricii, duces, principes, comites, nobiles, barones, milites ac alii utriusque sexus homines honorati et mediocres infiniti elegerunt et non solum salvi facti sunt, sed eciam supremas celesti regni sedes meruerunt. Testes sunt Anthoninus, Macharius, Arsenius, Josaphat, Astyon, Sinclletes, Brigida, Benedictus, Maurus, Judocus, filius regis Britanie, Arnulphus dux Lothringie, Karolomagnus et Hildericus, filii regis Francie, Rachis rex Longobardorum ac plures alii reges Francie, Anglie, Bulgarie et cetera.<sup>14)</sup> Item Bruno primus

fundator Carthusiensis ordinis, Stephanus<sup>15)</sup> et Bernardus cum fratribus suis, primi propagatores Cisterciensis ordinis aliquie sine numero. Hii omnes, quid egerint quibusve exercitiis ad culmen spiritualis perfectionis pervenerint, qui scire voluerit, sacros legat codices et in regalibus manibus citius surculum quam sceptrum inveniet, citius cotem quam margaritam, citius in mense aquam cum pane arido quam vina condita. Eya ubi sunt jam delicati rustici nostri quidam, qui tanto opere sacros labores fugiunt, tam studiose ad ociosos dies anhelant. O miseri, quid facitis, quid respondebis districto judici, quando videritis tales ac tantos viros palatia deseruisse [Bl. B 7] et ad vestram rusticitatem descendisse sicque regna celorum permeruisse. Vos in rusticitate sancta nati estis et quoniam faciliter continuare poteritis, si vultis, deserere cupitis. Illi in purpura nati periter et educati, quam relinquere ipsis utique semimors est, tam sollicite vestram securitatem amplectuntur, cunctis mundi honoribus spretis atque deliciis. Eya advertite, quam breve tempus laborare habetis pro eterna quiete, quam incertum est, an honores temporales sine periculo corporum et animarum adipisci poteritis, quos tamen adeptos certum est non diu retinere quamquam posse. Manete igitur in sancto statu vestro seguro et humili et honorate officium vestrum sanctum a deo institutum et animo valente ac mente benivola hilariter exequemini ea, que ad ipsum spectant in timore dei et vere beati eritis cum omnibus, qui labores manuum suarum manducant beneque vobis erit hic et in eternum. Quod vobis concedat idem gloriosus deus, cuius operarii estis, qui per cuncta secula vivit et regnat. Amen.

Quarto debet quilibet fidelis et timoratus rusticus humiliter dominis suis obedire.

Hoc est, quod monet Apostolus ad Romanos XIII capitulo<sup>16)</sup> omnibus christianis loquens ac dicens: „Omnia omnia potestatis sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas, nisi a deo. Qui autem a deo sunt, ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, dei ordinacioni resistit. Qui autem resistunt, sibi ipsi dampnacionem acquirunt. Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis

non timere potestatem. Fac bonum et habebis laudem ex illa. Dei enim minister est, tibi in bonum. Si autem malum feceris, time. Non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindicta in iram ei, qui malum agit.“

Ecce quam plana sententia! Nihil sincerius dici potuit. Attende, quod resistantibus comminetur: ubique tam hujus quam future vite dispendium! Nam contra eos principes jus acquirunt sive ad occidendum sive ad puniendum et dominus deus eos eternaliter dampnat, si absque penitentia sic moriantur.

Hic heu plures rustici deficiunt nullatenus obedire volentes, nisi cum resistere non possunt, aut multas occasiones calvas fingentes, sepe etiam mendaciter se excusantes, aut alio colore illico palliantes se et receptus suos, ut a debitibus servitiis absolvantur. Hi omnes resistunt potestati et deum graviter offendunt, quia multa peccata pro modico lucro sepius committunt et tanquam fures in conspectu divine majestatis judicantur, quia rem aut servitium, quod alteri debent, ipso invito detinent, sive per violentiam, sive per fraudem. Ast econtra boni et fideles rustici, ambulantes simpliciter in via mandatorum dei, nec mendacium ne violentiam meditantur contra dominos suos propter timorem dei, sed omnibus juxta ejusdem beati Pauli monita reddunt debita: „Cui tributum tributum, Cui vectigal vectigal, Cui timorem timorem, Cui honorem [Bl. B 8] honorem.“ Sic sincere et fideliter servientes „non tanquam hominibus sed tanquam deo neque ad oculum placentes sed ex animo, ut nemini quicquam debeant, nisi ut invicem diligent.“<sup>17)</sup> Hoc est dicere, quod inter dominos et subjectos debet esse mutua dilectio. Quod facile contingit, quando inferior debitum solvit benivole superiori.

Alioquin jugis inter eos rixa et invidentia oritur cum dei offensa. Et quia sunt nonnulli etiam bone voluntatis rustici aliquique christiani nominis professores tam literati,<sup>18)</sup> qui putant, quod subjectio ista famosa, qua per universum pene orbem rusticana plebs regitur et precipue illa, que vinculo servitutis est alligata, sit injusta, eo quod natura omnes simus ingenui, immo ad tollendum hunc errorem aliquorum sanctorum dicta sunt hic subjungenda. Constat

namque, quod bone voluntatis homo facilius et libentius servit, quando scit secum juste agi, sed quando putat, quod violenter gravatur contra fas pene sanguinem pro aqua suda, nisi fuerit valde in virtutibus perfectus. Est ergo sciendum, quod de communi subjectione hominis ad hominem nulla est dubitatio, quin justa sit, ymmo necessaria, alioquin in ecclesia dei nullus esset ordo, sed confusio tota.

Si enim nullus vellet subesse, sed equaliter omnes preesse, totius humani generis optabilissimum bonum, quod est pax, continue turbaretur nec possent homines simul habitare neque conversari, veluti si plures ante unam domum starent et nullus alteri cedere vellet, ut preiret, necessitate omnes simul foras remanerent, aut forte se mutuo violenter opprimerent, donec unus solus totam domum teneret.

Hec quam essent absurdia, bestiarum convictus edocet, si homines ista nescirent. Nam pulchro quodam et naturali instinctu una alteri cedit et quasi superiorem recognoscit.<sup>19)</sup> Ea autem, que secundum naturam sunt, optime se habent. Igitur patet, quod subjectio et prelatio necessario sint in populo dei et per consequens non omnis subjectio est violenta et injusta, sicut nec prelatio. Invenitur namque triplex prelatio et triplex subjectio in scriptura sacra. Nam quedam est divina et naturalis, que apud omnes equalis. Et sic dominus deus creator universorum presidet et dominatur creature a se facte. Ita etiam suo modo parentes prelati sunt filii. Et hec justissima est et qui huic prelationi resistit, nimis est perversus. Juxta illud psalmi: „Dixit insipiens in corde suo: Non est deus.“ Ubi beatus Augustinus dicit, quod paucorum est ista insanitia, ut dicant: Non est deus. Sic vix unquam est repertus aliquis ita protervus, ut diceret se parentes non habere aut habuisse nec filios debere parentibus subdi. Omnis ratio proclamat, quod illis honorem rependere cum gratitudine debemus, a quibus esse habemus. Hinc in lege pari pena plectuntur, qui deum blasphemant et parentibus maledicunt, quia morte digni sunt.

Alia est voluntaria et socialis et ad istam nemo tenetur, nisi se voluntarie obligaverit [Bl. C 1] tacite vel expresse. Sic uxor subjecta est viro et econtra secundum modum suum. Sic

miles duci, dux regi, clericus sacerdoti, civis burgimagistro et sic de singulis. Quamvis enim vir non teneatur uxorem ducere, tamen, postquam duxerit, tenetur cohabitare ei et debitum reddere et providere de illis, que statui singulari sunt connexa. Sic de aliis omnibus statibus a primo usque ad novissimum. Nemo de communi lege tenetur suspicere principatum, sed, si voluntaria consensione suscepit, jam se obligavit et ideo tenetur ad ea, que illi statui sunt debita et congrua. Similiter de communi lege non tenetur alteri servire. Sed si pacto interveniente aut alia causa juste se ad serviendum astrinxerit, jam obligatus est et servire tenetur. Quare autem homo sic debeat esse omnino liber ab omni coactione, immo est, quia alias non posset dici, quod vere esset ad ymaginem dei creatus, quando videlicet non haberet facultatem utendi libero arbitrio ad faciendum hec aut illa, quecumque rationabiliter vellet, quia libera voluntas absolute loquendo soli deo et nulli alteri subditur, nisi ipsamet se subiciat alicui citra deum. Et ergo ista prelatio et subjectio socialis nunquam est justa sine privio consensu de communi lege. Quod dicitur propter illos, qui nati sunt in servitute, quia illi sequuntur condicionem parentum suorum, quamvis alias causam ex proprio consensu non habeant, unde sepedicta libertate priverentur. Ex istis patet: Si aliquis omnino liber et absolutus ab omni impetione humana, qui nullum omnino votum aut promissum emisisset, uti vellet naturali libertate, ita quod nullus super eum haberet juris doctorem sive auctoritatem precipiendi hoc vel illud, talis posset ire in locum aliquem solitarium, ubi nullum haberet dominum et ibi vacare soli deo et sibi. Et quamdiu sic viveret et se de manibus propriis nutritret aut aliunde a deo sibi provisis absque omni humano suffragio, tam diu soli deo subderetur nec quisquam juste posset eum cogere ad aliquid etiam minimum essetque talis sibi dominus, sibi servus, sibi prelatus, sibi subditus nec aliquam communitatem intrare teneretur. Sed quam cito se hominibus sociaret, ab eis auxilium et solatium accipiendo, tunc statim tenetur se eis confirmare in bonis moribus eorum juxta congruentiam status sui, quia incipit esse pars eorum, quibus convivit.

Et teste beato Augustino turpis est omnis pars, qui non congruit suo toto. Et juxta vulgatum proverbium: „Quod cum ceteris mel lingere cupit, oportet, quod periter cum eis apum aculeos sustineat.“ Quare sequitur secundum dictamen recte rationis, quod qui vult solaciis et auxiliis humane societatis participare, oportet, quod etiam onera ejus, quantum sibi incumbit, rationabiliter ferat et per consequens tacite vel expresse jurisdictioni se submittat. Et ex tunc et quam diu sic est, obedire tenetur potestati humane in hiis, que suum statum concernunt. Verum quia predicta vita solitaria magis vis videtur esse angelica quam humana, ideo vix aut parum in sacris scripturis [Bl. C 2] de illa invenitur. Et est communis sanctorum sententia, quod non est consulendum leviter, ut aliquis illam arripiat, quia periculosissimum est maxime rudibus et imperfectis in via dei, quamvis quidam sanctissimi viri ipsam ab ineunte etate elegerunt. Quia tamen privilegia paucorum non faciunt communem legem, ideo tales sancti sunt magis admirandi in hoc quam imitandi. Vita autem socialis est magis secura quo ad omnem statum. Et per illa legitime conservanda et dirigenda sunt valde multa scripta et leges tam divinitus promulgatae quam humanitus institute.

Tertio prelatio est coherciva et subjectio servilis. Et hec nunquam est justa, nisi precedente peccato. Nec fuisse in statu innocentie sicut due precedentes, juxta illud Apostoli: „Justo non est lex posita sed peccatoribus.“ Quod secundum glosam intelligitur de lege coherciva sive penali.<sup>20)</sup> Verum quia totum humanum genus propagatum est de stirpe viciata et radice infecta per peccatum, ideo etiam tota natura humana multipliciter est serva artante eam decreto divine justicie, a quo nunquam se in hac vita absolvere potest. Et ergo ista communis servitus, qui dicitur Ecclesiastici XL „jugum grave super filios Adam a die nativitatis eorum usque in diem sepulture“ absque dubio est justa, quia a justo deo inficta. Huic autem servituti prime succedit altera quotidiana propter peccata, que quotidie committimus, quia non est homo super terram, qui non peccat saltem venialiter. Et teste ipsa veritate: „Qui facit peccatum, servus est peccati.“ Ergo qui quotidie peccat,

quotidie fit servus. Et ista est pessima servitus et sola hec est culpabilis, alie autem sunt penales.

Ex ista aut secunda servitute generatur **tertia**, que dicitur servitus legalis, de qua leges tractant, quia est jure gentium introducta, videlicet quando tantum erat piaculum, quod gravioribus penis erat plectendum. Unde olim apud piissimos principes hec clementia fuit, ut eos, quos in bello ceperant hostes, morti dignos, vite reservabant ad certa opera deputandos. Et ob hoc servus a servando nomen accepit et dictus est servus quasi servatus.

Ubi est notandum, quod ista servitus legalis tunc solum justa est, quando bellum justum est, vel quando quis tale crimen committit, propter quod leges servitatem infligunt. Est etiam alia quedam origo servitutis multum virtuosa et perfecta, quam videlicet aliquis ex humilitate seipsum in servum dat alteri intuitu dei, sub qua comprehenduntur boni religiosi, qui se in perpetuos servos dei consecrant.

Est adhuc alia origo servitutis, que ex necessitate procedit, quando videlicet quis propter defensionem alteri se tradit in servum aut quando quis propter debita tenetur aut venditur sive alia hujusmodi. Item quandoque cupiditas est causa servitutis, sicut in quibusdam terris contigit, ubi servi pro aliis sunt magis divites, aut amplius privilegiati, quare nonnulli ingenui tradunt se servituti ob hoc tantum, ut gratiam et honores sive officia aut hereditates a dominis consequerentur [Bl. C 3]. Et quamvis simpliciter loquendo hoc non sit peccatum, nisi quantum cupiditas id persuaserit, tamen non videtur laudabile. Est enim libertas magnum donum domini, quod pro re vili non debet vendi, sicut sunt temporalia. Unde et Esau reprehenditur ab apostolo, quod donum nature nobile scilicet primogenituram pro cibo necessitatis etiam tempore fratri vendidit. Sola namque illa servitus est laudabilis, que ex virtute procedit. Sic multi servi ex nativitate, sic procreati magnum meritum apud deum habebunt, si fideliter dominis suis serviant cum tali intentione, quod potius volunt penale jugum sustinere quam per fugam ac violentiam sive fraudem se a servitute absolvere et contra bonum virtutis agere dominum deum offendendo. Similiter de illis, qui se propter

paupertatem vendunt, ut proximo satisfaciant, est sciendum: Omnes isti merito inter martyres sunt computandi. Qui autem propter sua peccata propria servituti mancipantur et nihilominus patienter sustinent cum plena contricione peccati, similiter non solum peccatorum remissionem, sed etiam meritum eterne vite cum predictis herebunt. Qui vero invite et cum murmure serviunt, se ipsos miserabiliter decipiunt, nisi post peniteant. Nam neque apud deum neque apud homines gratiam habebunt. Quod tamen intelligitur de morali impatientia. Non est enim mirum, si homo bone voluntatis, in quotidiana servitute desudans, aliquando sentiat motum impatientie veniale sive erumpentia verba minus suavia contra dominos suos, quod vix a sanctissimis viris unquam potuit observari. Sed sufficit humilis recognitio cum peticione venie post hujusmodi lapsum, totiens quotiens, cum proposito se deinceps precavendi et tunc non amittitur meritum. Et quamquam sint multe species servitutis secundum leges, tamen quantum ad propositum sufficit, pro dirigenda conscientia simplicium est advertendum, quod simpliciter loquendo de servitute et stricte tunc tantum illi dicuntur servi, qui omnino absque aliqua conditione apposita sunt alterius juris et perpetuo servire tenentur et, quidquid habent, omni hora ad dominorum pertinet voluntatem sine ulla contradictione servorum. Et hoc vix reperitur in partibus Almanie, sed in Ytalia et precipue in locis maritimis, ubi quotidie venales adducuntur de terris Sarracenorum captivi et emuntur in servitutem simpliciter sine omni pacto previo. Et hoc vocatur servitus legalis, de qua jura communiter loquuntur in pluribus locis.

Alia est servitus conditionalis sive usualis, qui secundum diversas regiones diversimode narratur introducta et successu temporis plenissime prescripta, ita quod de hoc non sit dubitandum, quin justa sit. Et ista habet limites suos, videlicet secundum morem patrie aut certe secundum pactum previum ratificatum inter dominos et hujusmodi servos ex communi consensu, ita quod, quando solutum debitum fuerit, deinceps dominus nec de persona servi nec de rebus ejus interesse habet nisi forte post mortem ejus

aut in certis casibus secundum quod consuetudo aut pac-tum de hoc canit.<sup>21)</sup> Ubi est diligenter advertendum, quod fidelis servus, qui se taliter obligavit tenetur facere diligentiam suam nocte et die, quatenus domino suo solitam pensionem solvat, ita quod, si aliter fecerit, [Bl. C 4] vide-licet negligendo laborem debitum aut deliciis vacando ultra modum, graviter peccat et reus tenetur coram domino deo et hominibus. Si autem post fideles labores infortunium ali-quod evenerit, ita quod pensionem solitam solvere non poterit, tunc cum bona conscientia potest se excusare narrando cau-sam simplici corde sine omni dolo, sicut se res habet et tunc coram deo et omnibus hominibus est excusatus. Si super hec dominus suus eum gravare voluerit, non statim debet currere ad lapides<sup>22)</sup> aut minari aut maledicere, sicut qui-dam protervi facere solent, sed humiliter rogare aut bonos aliquos viros inducere, ut pro se intercedant, quatenus negocium in omni caritate sopia-tur. Quod si fecerit in timore dei cum omni mansuetudine, absque dubio pius et misericors deus non negliget fidelem servum suum, sed mittet spiritum bonum inter ipsum et dominum suum, qui loquitur pacem inter eos, aut si dominus utique irrationa-biliter gravare servum vellet, tunc hoc certissime est tenen-dum, quod clemens deus aut gratiam patientie sibi dabit ad magnam coronam suam, aut illico vindicabit injuriam pau-peri factam, sicut sepissime factum legitur. Magna igitur fidutia est omnibus sperantibus in adjutorio altissimi, quo-modo non illorum obliviscetur misereri deus, sed pauperum et afflitorum gemitus audiet et faciet juditium ipsorum. Scio, quod loquor. Non longe ante hec tempora princeps quidam, dum ultra solitam pensionem inhumaniter quosdam rusticos gravaret nec quicquam suspicaretur mali, subito absque aliquo morbo cepit ventrem dolere et in brevi miserabiliter ejus obclusum os fuerat, ita ut sine sacra-mentis formidabili morte velud canis vitam finiret.

Novi ante annos XX quendam famosum tirannum, qui pene nihil humanitatis habuit. Hic multa pecunia congre-gata per exactiones graves a pauperibus servis, dum sibi providere vellet in futurum, caute eas, ut ipse putavit, cui-dam honeste civitati in depositum dedit. Sed mira res

accidit, ut civitas ipsa in quodam necessitatis articulo constituta omnem illam pecuniam consumeret succedentibusque necessitatum periculis nihil ipsi tiranno, qui tunc indigens factus erat, reddere potuit. Tanta siquidem ejus sevitia fuit, ut a proprio filio adhuc puero vinculis traditus et a patria expulsus affligeretur.

¶ Armiger quidam circa idem tempus, dum servos suos crudeliter tractaret, ita ut eciam mulieres incipparet<sup>23)</sup> sine causa, in sacra solemnitate paschali pene in frustra conscient miserabiliter velud bestia in manibus percutientium spiritum efflavit. Nec mirum. Hoc enim dominus deus comminatus est universis prelatiis in multis locis sacre scripture. Unde Exodi XXII legitur: „Non contristabis advenam neque affliges eum. Vidue et pupillo non nocebis. Si leseritis eos, vociferabuntur ad me et ego audiam clamorem eorum et indignabitur furor meus percutiamque vos gladio.“ Verum non hec scripta sunt, ut statim quilibet Iesus debeat vindictam petere a deo contra [Bl. C 5] adversarios suos, sed ut sciant humiles, quod non indigent se ipsos vindicare, quia divinum judicium vigilat super hoc, ut eruat de manu violenti pauperem. Siquidem multo amplius consulendum est afflictis, ut patienter sustineant et recogitent diligenter, si forte aliqua peccata habeant sub se, que nondum emendaverunt, propter que etiam gravioribus penis digni essent. Quod si non invenerint, tunc cum omni fidutia supplicare possunt domino deo pro emendatione dominorum suorum. Hec autem oratio efficacissima est et acceptissima coram deo et ipsis subjectis multo utilior, quam si adversarii de medio tollerentur, quia nescitur, qualis futurus erit, qui illi succedit. Quam pluries enim expertum est, quod malo pejor et pejori pessimus successit in regimine. Quod tamen frequentius non contigit, nisi propter peccata populi aut exercitium electorum. Communiter namque divina providentia bonis et modestis hominibus discolis presides non permittit. Nam juxta vulgatum proverbium: Qualis est rector civitatis, tales et inhabitantes in ea. Et e converso: Qualis populus, talis est et princeps, qui regit ipsum.

Hoc etiam in scriptura sancta luculenter exprimitur: Nam bonis dominus promittit Ysaie LX dicens: „Ponam

prepositos tuos justiciam et occupabit salus muros tuos.“ Perversus autem comminatur Ezechielis XX: „In furore effuso regnabo super vos.“ Et Ozee VIII: „Dabo vobis regem in furore meo.“ Et in Job dicitur: „Quia regnare facit hominem ypocritam propter peccata populi tollenda.“ Est igitur culpa, ut casset tirannorum plaga. Neque tamen propter hoc tiranni sunt sine culpa, quia subditi meruerunt regimen eorum, sed sicut pater virgam in ignem proicere solet, que filium erudivit, sic fiet etiam prelatis discolis.

Narrat beatus Gregorius in libro dyalogorum<sup>24)</sup> de Theodorico, rege Gothorum, famoso tiranno, qui sanctum Johannem papam et Symmachum patricium ac Boecium et alios eque catholicos viros martirizari fecit, quod ab ipsis, quos juste occiderat, ab hac luce subtractus fuerat et in os vulcani projectus. Sic de aliis multis legitur sine numero. Pariformiter quoque sentiendum de iniquis servis esse constat, sicut de iniquis dominis, quia raro bona morte funguntur. Quamquam enim nonnunquam servi injuste opprimantur, tamen non habent jus invadendi dominos suos aut bona ipsorum. Et aliquos scivi, qui contra fas diffidarunt dominos suos, licet clamore totius vulgi justificarentur, tamen dominus deus aperte plagavit eos. Et sicut fecerunt, factum fuit illis. Sed queritur, quid faciendum sit servis, qui non possunt tolerare tam injusta gravamina modum. Respondetur, quod ad subsidia juris possunt refugere, sicut alii ingenui facere solent. Nam in jure plene dispositum est, quod in hoc casu fieri debeat. Dicitur enim in lege, sequitur de jure personarum, in institutis, de hiis, qui serviunt, quod non licet sine causa rationabili dominus super modum in servos deservire. [Bl. C 6] Et qui sine causa servum suum occiderit, non minus puniri jubetur, quam qui servum alienum occiderit. Et quando est intollerabilis sevitia dominorum, possunt servi refugere ad loca sacra, a quibus extrahi nec possunt nec debent, donec vendantur alicui probo viro, qui eos clementer tractet et precium nihilominus crudelibus dominis detur. Expedit enim rei publice, ne quis re sua male utatur. Et quia frequenter sevicia dominorum servos inhumaniter

tractat, immo etiam mos inolevit in civitatibus eminentioribus, ut cives eos sub sua defensione pie suscipiant<sup>25)</sup> nec aliquid eis malum evenire sinant, nisi secundum viam juris. Si vero suprema potestas in culpa fuerit, ita quod non sit servis locus evadendi tirannidem nec inveniant aliquem, cui conquerantur injuriam sibi factam, qui eos liberare possit, adhuc nullo modo permittitur eis invadere aut personam aut substantiam dominorum suorum, sed ad dominum deum confugere debent, ut predictum est.

Verum quia multi et varii casus in hac materia evenire solent, ideo consultum est, quod semper ad aliquem disciplinatum virum referatur negocium, qui singula diligenter examinet, ne alicui fiat injuria. Ex quibus patet, quod graviter peccant principes dissimulantes injuriam pauperum servorum, quando a vasallis suis opprimuntur, quia cum sint principales administratores rei publice, nullum debent negligere in jure suo nec facile credere oppressoribus hujusmodi, sed, sicut beatus Job fecit, diligentissime causam examinare et unicuique, quod suum est, tribuere. Alioquin tanquam consentientes apud deum rei tenebuntur. Aptissima namque lex dicit dominorum potestatem in servos suos illibatam esse oportere nec cuiquam jus suum detrahi. Cui divina lex consonat ad Ephesios VI, ubi beatus Paulus apostolus utrosque salubriter informat dicens: „Servi, obedite dominis carnalibus cum omni timore et tremore in simplicitate cordis vestri sicut Christo, non ad oculum servientes quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi facientes voluntatem dei ex animo cum bona voluntate, servientes sicut domino et non hominibus, scientes quantum unusquisque fecerit bonum, hoc recipiet a domino sive servus sive liber. Et vos domini eadem facite illis remittentes minas scientes, quia et illorum et vester dominus est in celo et personarum acceptio non est apud deum.“ Ecce aurea doctrina, que utinam sic jugiter servetur, quia tunc nil restaret nisi abundantia pacis et dilectionis. Rursum queritur, quando servis fit injuria a dominis suis, aut quando est locus justae querele? Respondetur, quod, si sint servi conditionati, secundum certa pacta aut consuetudinem patrie prescriptam, tunc non licet dominus gravare servos

ultra consuetum modum taliter prescriptum. Si vero sint simpliciter servi, tunc si domini eis negant victum et vestitum, necessarium, aut prohibent eos, aut jubent ultra quam ratio dominii se extendit, aut si ad mala cogant etc. Si inuste affligant. Si ultra vires laborare faciant. Pro quo est advertendum secundum Thomam secunda secunde questione capitulo quarto articulo quinto, quod inferior suo superiori obedire non tenetur, si ei aliquid [Bl. C 7] precipiat, in quo ei non subditur, juxta illud Senecē: „Errat, si quis existimat servitutem in totum hominem descendere. Pars ejus melior excepta est. Corpora obnoxia sunt et asscripta dominis, mens quidem sui juris est.“ Et ideo in hiis, que pertinent ad interiore motum voluntatis, homo non tenetur homini obedire, sed solum deo. Tenetur autem homo homini obedire in hiis, que exterius per corpus sunt agenda sicut ad opera servilia. Servi tenentur dominis obedire non ad opera naturalia, quia natura omnes homines sunt pares. Unde quoad sustentionem corporalem aut proliis generacionem servi non sunt domino subjecti. Unde non tenentur servi dominis obedire de matrimonio contrahendo aut non contrahendo, de virginitate servanda aut non servanda et hujusmodi. Item de jejunio ultra posse aut labore perpetuo aut nuditate indiscreta, aut vigilia continua, aut aliis similibus, que naturam destruunt. Item quando major potestas precipit servis, tunc minor potestas cedere debet. Sic contra preceptum dei nunquam debet subditus obedire homini. Similiter contra preceptum pape non valet preceptum alicujus potestatis inferioris. Et contra praeceptum principis non debet vasallum cogere servos suos, cum et ipsem sit quasi seryus principis. Ita et de aliis suo modo est dicendum, ut videlicet major potestas semper primatum teneat. Sic enim dominus deus suam ecclesiam disposuit, ut nullus in ea sit absque objecta. Et summus totius mundi prelatus, videlicet dominus papa, non se aliquem magnum scribit, sed humiliter se servum servorum dei nuncupat. Et in veritate ita est nec audebit in conspectu divine majestatis aliquo alio titulo gloriari nisi de isto. Nam hoc praeceptum habet a domino nostro Ihesu Christo, cuius vicarius est sicut dicitur Luce XXII: „Qui

major est in vobis, fiat sicut minor et qui predecessor est, sicut ministrator. Et ut hanc humilitatem omnibus christianis efficaciter imprimaret, seipsum in exemplum dedit dicens: „Ego in medio vestri sum sicut qui ministrat.“ Et iterum: „Non veni ministrari sed ministrare.“ Et cum in ultima cena discipulorum pedes lavisset, ait: „Si ego, vester dominus et magister, lavi vestros pedes, quanto magis et vos debetis alter alteri lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis. Amen dico vobis: Non est servus major domino suo neque apostolus major eo, qui misit illum. Si hec scitis, beati eritis, si feceritis ea.“ Merito hec omnibus servis maxime debent esse consolatoria et libenter hoc exemplum amplecti et benivole servire, quoniam, si sic fecerint, sunt veri imitatores filii dei. Ob hoc multi reges et principes, nobiles ac mediocres altas sedes dimiserunt et servilem statum assumpserunt, ut Christo domino vicem rependerent. Erubescant ergo servi et timeant, si dominis suis humiliiter non obediant. Erubescant similiter domini et paveant, si servos suos irreverenter tractent. Nam audituri sunt a tremendo judice: [Bl. C 8] „Quod uni ex minimis meis fecistis, qui in me credunt, mihi fecistis sive bonum sive malum.“ Similiter a servis exiget, qualiter suam doctrinam et exemplum imitati fuerint, quando prelati dixit in persona apostoli: „Qui vos audit, me audit et qui vos spernit, me spernit.“ Revera quando uterque seriose hoc advertit, tunc benignitas in prelati et fidelitas in servis facilius surget. Qui vero his non compungitur, spiritualiter mortuus est.

De hoc legitur notabile exemplum in secundo libro *Vitas patrum*, capitulo XIX, ubi narratur de quodam sancto patre, qui fuit servilis conditionis et per singulos annos venit de heremo ad dominos suos, deferens eis pensionem, sicut solent servi facere dominis suis. Sed domini ejus, magnam ad ipsum reverentiam habentes, honorabant eum occurrentes et salutantes eum petentesque, ut pro ipsis deum exoraret. Ille autem mittebat acquam in pelvim et festinabat lavare pedes dominis suis, cum omni humilitate obsequium eis cupiens exhibere. Ipsi vero non acquiescebant

dicentes: Noli, beatissime pater, gravare animas nostras. Ac ille respondens dixit: Ego servus vester sum. Nam vos dominos meos omnipotens deus constituit et gracias ago vobis, quod me in servitio dei permisistis et ideo detuli vobis pensionem servitutis mee, quam si non acceperistis, jam decrevi hic manere et servire vobis. Quod videntes domini acquieverunt ipsumque dimittentes licenciant sicut petivit. Noluit enim libertati donari neque ab annua pensione absoluvi propter timorem dei et ne labores sui essent in domo aliena, sed per eos eternam marcaretur libertatem in celestibus.

Nunc redeundo ad causam, videlicet cum homines pii dicant, quod servitus injusta sit pro eo, quod homo venditur sicut vacca et equus. Quod irrationaliter est. Patet, quod non debite loquuntur. Non enim est simile, ut jam clare dictum est. Quia autem crebro fiunt servis oppressiones injuste, non est mirum, quia ille etiam fiunt ingenuis, ymmo indifferenter statibus universis propter hoc tamen non sunt status prohibendi in ecclesia tanquam illiciti. Demum queritur, in quibus casibus domini habeant justam querelam contra servos? Respondere, quod, si servus sciat insidias preparari domino et ipse auxilium non tulerit, reus judicatur. Similiter si viderit dominum periclitantem et eum non adjuverit. Item si eum criminaliter accusaverit vel diffamaverit. Item si se miscuerit uxori sue vel simili delicto eum offenderit. Isti sunt casus graves. Porro si alias delinquit vel domino non obedierit, legitime eum corrigere potest juxta modum culpe secundum dictamen boni viri, semper in timore dei sciens, quod eadem mensura remetietur ei, qua mensus ipse fuerit. Prudenter etiam dominus advertat, quod servo expediatur, sicut sollicitus est ad disciplinandum filium aut filiam. Sacri namque canones testantur, quia nonnullorum pernitiosa libertas est et salutifera servitus. Qui enim aduenta libertate superbire neverint, expedit eis, ut in servitatem revocentur, quatenus hominibus potius virtuose obedient, quam viciis perniciose serviant. Econtra sunt [Bl. D 1] nonnulli servi, qui eciam ingenuis praestantiores existunt et illis nonnumquam serviunt, qui eos in virtutibus nequaquam antecedunt. Hii non tamen libertate digni sunt,

ymmo tamquam patroni venerari debent. Tanto siquidem majori honore in futura vita pre aliis sublimabuntur, quanto hic in tanta subjectione timoratus conversantur. Hinc scriptura ait: „Si est tuus servus fidelis, sit tibi quasi anima tua.“

Hec longius protracta sunt. Sed nunc sicut prius universos rusticos, sive liberi sint sive servi, in communi omnes monemus, ut dominis suis humiliter obedient in timore dei nec est alia via pervenienti ad veram nobilitatem nisi per objectam. Quanto est enim stirps nobilior, tanto est cervix flexibilior. Qui enim regendi sunt, et cervicos degeneres comprobantur, eciam si carnaliter nobiles existant. Verum quia pene per totum mundum hodie rustici sicut a diebus antiquis multipliciter gravantur, immo multa est eis pacientia necessaria, quatenus in hac vita plene purgentur et coronas plures mereantur sicque depurati et dealbati, tandem ab Christo, qui beatitudinem eternam hiis promisit, qui propter justiciam persecutionem patiuntur, in eternum regnum assumantur, ubi est requies sine labore, saturitas sine fastidio, evasio periculorum, affluentia honorum, copia deliciarum, abundantia diviciarum, summa libertas, libera securitas, tranquilla jocunditas, felix eternitas, gaudium sine dolore, libertas sine timore per infinita secula. Amen.

Quinto debet quilibet fidelis et timoratus rusticus precipue clerum venerari et ex corde diligere, quia hec est voluntas dei, ut scilicet, qui deum colit et veneratur, quod etiam similiter nuncios ejus libenter aspiciat.<sup>26)</sup>

Hic communiter rustici sunt ceteris laycis preferendi. Nam presbiteros, qui bene vivunt, summo studio colunt, non solum verbis, sed etiam observantia exteriori in omni loco, ubicunque res postulat. Quia si aliqui reperiantur inferioris gradus in clero in moribus dissoluti et perverse vite vagi et ociosi, non est mirum, quod a populo gravi et laborioso minus revereantur, cum tales nullis placeant sive in celo sive in terra. In quo tamen venerabiles layci tam cives quam rusticci et alii quicunque sunt pie avisandi, ne tales presbiteros aut clericos judicare audeant propter reveren-

tiam divini cultus, qui per ipsos in facie ecclesie quotidie exhibetur. Nam sicut dicit beatus Gregorius: „Contingit aliquando ut homo potens famulum habeat despectum. Et quamvis jure talis famulus sive nuncius despiciatur, tamen subditi non audent eum deridere sive contumeliis afficere propter reverentiam principis, qui eum misit, quia sciunt, quod princeps tales injuriam reputaret tanquam sibi factam et graviter puniret. Sic etiam dominus deus vult, quod famuli sui ab aliis non tangantur, quamvis etiam reprehensibles sint secundum illud psalmi: „Nolite tangere christos meos et in prophetis servis meis nolite malignari.“ Item super illud Numeri secundo: „Tribum Levi noli numerare, dicit dominus Moysi, neque ponas summam eorum cum filiis Israel“ [Bl. D 2]. Dicunt sancti, quod perhibitum est laycis a domino, ne judicium exerceant in clericos aut alios quoscunque divino cultui mancipatos, quia sepius contrarium facientes divina ulcio perculsit.

Refert Orosius, quod quidam dux imperialis exercitus nomine Masoezel cum periculosa quaedam bella conficere deberet, clerum convocans et quosdam honorabiliter secum dicens, devote pro directore tanti negotii eorum orationes imploravit. Tractumque est, ut insperate de hostibus ubique triumpharet. Sed post in superbiam elatus cum clerum persecui inciperet, statim miserabiliter imperfectus fuit. Et subdit idem Orosius notabile verbum dicens: Probavit in se uno ad utrumque semper divinum vigilare judicium, quando et cum speravit, adjutus et cum contempsit, occisus est.

Invenitur etiam in sacris libris, quod ab origine mundi, quotquot fuerint molesti cultoribus unius veri dei, jugiter infortunati extiterunt, sicut apte Moyses imprecatur eis Deutero. XXXIII dicens: „Percute dorsa inimicorum ejus et qui oderunt eum, non consurgant.“ Loquitur autem ibi de Levitis. Advertant hec quique fideles rustici ac alii universi et preaveant sibi, quia omnino verissime invenient, quod nihil lucrantur per hujusmodi blasphemias, quas quidam insensati contra proximos suos frequentant. Cur ergo pro nihil tam hujus quam future vite dispendia sibi marcantur? Quis eos non consideret, qui jugiter alienam vitam maculare solent? Quis non statim apud semet ipsum dicat:

Cavebo me a talibus, quia immundum os habent et sicut aliis retro dorsum detrahunt, sic facient et mihi. Contra hos propheta orat: „Domine, libera animam meam a labiis ini quis et a lingua dolosa.“ Hinc apostolus etiam dicit detractores non solum hominibus, sed etiam deo odibiles esse.

Et si hujusmodi detractio contra quemlibet proximum grave peccatum est, quanto magis contra dei vicarios. Nam tanto zelo dominus deus hoc prohibuit, ut merito omnis sensatus homo expavescere debeat, ne ad talia linguam laxet. Dicit enim dominus Exodi XXII: „Diis non detrahes, hoc est spiritualibus et principi populi tui non maledices.“ Rem refero, que in civitate quadam contigit, dum puer fui. Aurifaber quidam quotidie presbiteris detraxit. Hic sepius a vicinis admonitus fuit, ut maledictam linguam corrigeret, ne sibi eveniret, quod talibus communiter accidere solet, videlicet ne in mortis hora sacerdotis adventu indignus fieret. Miser ille et infelix, quod a timoratis hominibus suadebatur pervipendens, primo uxoris solatio privatus fuit, quia secum habitare noluit. Deinde ad opus sedens subitanea morte velud canis vitam finivit. Concurrentibus autem vicinis et sibi mutuo dicentibus, quantum quod prediximus jam evenit, tantus timor cunctos invasit, ut in proverbium uteretur, quod veraciter audivimus a progenitoribus nostris, nunc oculis vidimus, quia ad ejus mortem nunquam presbiter veniet, qui libenter presbiteris detrahit. Quanta autem debent diligentia [Bl. D 3] fideles layci etiam aperta via cleri occultare, docet gloriosus imperator Constantinus et habetur in decretis dis. XCVI, ubi ait: Vere si propriis oculis vidi sem sacerdotem dei aut aliquem eorum, qui monachico habitu circumamicti sunt, peccantes, meam faciem explicarem et cooperarem eum, ne ab aliquo videatur. Et quidem satis juste. Qui enim alter facit, quantum in eo est, deum inhonorat. Nam sicut dicit apostolus: „Propter reprobam vitam cristianorum blasphematur nomen domini inter gentes,“ sic propter peccata spiritualium personarum nomen domini blasphematur inter christianos et cunctus populus scandalisatur. Qui ergo libenter publicat et dilatat peccata clericorum aut religiosorum, convin citur aperte, quod ruinam populi et dehonorationem divini

nominis procurare festinet. Quia recte ergo et consulte ait quilibet timoratus rusticus, si ori suo frenum imponat, omnia dubia in melius interpretando, illa autem, que omnino mala sunt, occultando, quia per hoc ab infinitis periculis liberabitur. Hujus figura precessit olim in Noe et filiis ejus, quia, ut dicitur Genesis IX, cum Noe inebriatus jacuisset et a Cham derideretur, alii duo filii ejus scilicet Sem et Japhet pallium imposuerunt humeris suis, incedentes retrorsum operuerunt verenda patris sui faciesque eorum averse erant et patris virilia non viderunt. Sic usque hodie boni filii faciunt parentibus suis tam spiritualibus quam carnalibus. Cum enim non sit homo super terram, qui non peccet ad minus venialiter, nunquam deest calumpniatoribus occasio improperandi et indignandi, sed virtuosus homo, quem communis infirmitas tangit, semper, est pronior ad compassionem quam ad indignationem, semper paratior ad occultandum quam ad publicandum et talem cum predictis filiis Noe domino moderante benedictione repleri meretur. Infirmati<sup>27)</sup> vero neque hic neque in futuro requiem invenient, quia maledicti sunt. Non solum autem sufficere debet timoratis laicis, ut clerum et precipue presbiteros non lacerrent verbis detractoriis sed neque libenter tales audient, qui hoc faciunt, ymmo tenentur eos in hoc sic honorare, sive sint presentes sive absentes ex animo propter reverentiam divini nominis, ut jam dictum est. De hoc idem gloriosus imperator tale reliquit exemplum. Cum enim coram eo quidam episcopi causas suas prosequi vellent et suam summam super se peterent, respondit: „Vos estis nobis a deo judices instituti. De vobis judicare non audemus, sed nos potius vestram summam expectare decet. De vobis autem solus deus judicabit.“ Similiter alii multi imperatores, reges, duces et principes fecerunt et faciunt usque hodie, scientes, quod ab utero matris usque ad sepulturam expiari oportet eos per sacerdotum manus nec unquam ad superni regni pallatia pervenient, nisi sacerdotali ope illic mittantur dicente domino: „Quaecunque ligaveris super terram, erunt ligata et in coelo et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in celis.“ Ubi dicit beatus Gregorius, quod tanta est auctoritas pastorum, quod etiam gregi timenda est

summa eorum non solum justa sed etiam injusta. Ait enim: [Bl. D 4] „Tunc vera est absolutio presidentis, cum interni arbitrium sequitur judicis. Sepe fit, ut erga quemlibet proximum odio vel gratia moveatur pastor. Sed utrum juste vel injuste obliget pastor, pastoris tamen sententia gregi timenda est, ne is, qui subest et cum injuste forsitan ligatur, ipse obligationis sue sententiam ex alia culpa mereatur. Pastor ergo vel absolvere timeat indiscrete vel ligare. Is autem, qui sub manu pastoris est, ligari timeat vel injuste. Nec pastoris sui iuditium temere reprehendat, ne, etsi injuste ligatus est, ex ipsa tumide reprehensionis superbia culpa, que non erat, fiat.“ Item Ambrosius: „Nihil in hoc seculo sacerdotibus est excellentius, nihil sublimius episcopis reperiri potest, sed noscamus, quod sumus, ne sit honor sublimis et vita proclivis, ne sit deifica professio et illicita actio.“ Item Crisostimus: „Sacerdotii aspice dignitatem. Agitur in terra, sed officium celestibus negotiis continetur. Non enim homo, non angelus, non archangelus, non aliquis alia creatura, non virtus, sed ipse spiritus sanctus hoc munus instituit atque adhuc manentes in carne ministerio fungi prestitit angelorum. Per ipsos Christum induis, per ipsos dei filio conjungimur, per ipsos membra ipsius capitum efficimur. Quomodo ergo isti non sunt reverendi magis quam reges aut duces, sed etiam non magis erunt honorabiles quam parentes!“ Sacerdos, qui bene vivit et bene docet, tam sibi quam populo utilis est. Qui autem male vivit et bene docet, aliis est utilis, sibi ipsi perniciosus. Melius est propter bonos malos etiam favere,<sup>28)</sup> quam propter malos etiam bonos negligere. Propter bonos sacerdotes et malos honorare, ne propter malos etiam bonos contempnatis.“ Hic beatus Paulus ad Theſſalonicos et ait: „Rogamus autem vos fratres, ut noveritis eos, qui laborant inter vos et presunt vobis in domino et monent vos, ut habundantius habeatis illos in caritate et propter opus illorum pacem habete cum eis.“ Et Paulus ad Timotheum 5: „Qui bene presunt presbiteri, duplii honore digni sunt, maxime qui laborant in verbo et doctrina.“ Ex quibus verbis patet, quod fideles laici quicunque non solum debent presbiteros venerari, sed etiam

ex animo diligere ultra alios, quia hoc ratio dictat. Cum enim summos benefactores summe debeamus diligere, constat, quod presbiteros, per quorum ministeria a potestate demonum liberamur et deo reconciliamur, post ipsum dominum deum summe diligere teneamur. Quia, si ad temporalia beneficia oculum dirigimus, tunc nihilominus testante beato Augustino et Orosio maximam invenimus diligendi occasionem sacerdotes dei. Nam antequam christiani nominis predicatione orientur super terram, tanta fuit in hoc seculo populorum per turbacio et precipue rusticorum, propter inquietudines guerrarum, ut omnis auditus perhorrescat. Sed postquam per sacerdotum ora evangelica tuba sonuerit in terra, sublimiter pax hominibus nunciata et reformata fuit. Testes sunt usque hodie terre ille, in quibus cultus christiani nominis floret, quantum [Bl. D 5] illic pro ceteris rusticana geus moderatius administratur, quomodo non cessant sancti predictores populum admovere, ut inter se pacem et caritatem servent et in timore dei ambulent principesque similiter, ut clementer subjectis presint. Et ut hec omnia efficacius fiant, juges ad dominum preces fundunt, semper cum tali saluberrima conditione apposita, quatenus sic transeant per bona temporalia, ut non amittant eterna. His quid salubrius excogitari possit, non reperitur in mundo.

Satagit igitur, venerabiles rustici, sacerdotium divinitus institutum honorare, ut eternos honores et temporelae prosperitatem consequi mereamini. Per Christum dominum nostrum, qui est sacerdos in eternum secundum ordinem Melchisedech benedictus et superlaudabilis.

Sexto debet quilibet timoratus rusticus decimas et pensiones ac cetera debita fideliter solvere.

Hoc si non esset a deo preceptum, naturalis ratio doceret. Quod sic ostenditur: Cum enim natura simus equaliter omnes eque nobiles, eque liberi, eque divites, tamquam ab uno parente progeniti, unde omnes vocamur fratres, nihil portantes in hunc mundum, constat, quod terra equaliter naturali jure deberet hominibus dividi. Sed quia non in solo pane vivit homo, sed indiget etiam multis aliis, immo rationabiliter officia diversa commissa sunt illis, qui

ad hoc utiliores putabantur. Agri autem rusticis dimissi sunt. Si ergo rustici proventus terre sibi solum reservare vellent et nil inde ceteris suis fratribus id est hominibus communicare, magnam injuriam toti humano generi facerent, cum illi vix pauculas et angustas domos sibi reservarunt, ipsi vero latissimos agros possideant. Sequeretur quoque officiariorum defectus et tandem etiam ipsorum rusticorum totalis destructio. Quod patet ad oculum. Nam multa necessaria sunt ad agriculturam exercendam, que per ipsos fieri non possunt, tum quia industriad non haberent, tum quia tempus non sufficeret. Verum quia christiani sumus, loquimur nunc christiano more, videlicet quod nunquam bene dicitur humana vita, nisi primum queratur regnum dei et justicia ejus. Ergo ante omnia fideles rustici necessario indigent ministris ecclesiasticis, qui eos doceant et sacramenta ipsis ministrent, secundum quod hoc divinitus est institutum. Et quia eciam isti ministri indigent quotidiano victu et vestitu nec possunt similiter et semel carnalibus et spiritualibus servire nec eadem hora in ecclesia et rure laborare, immo dominus deus instituit, quod decima pars omnium, que terra profert et humana sudore proveniunt, ministris ecclesie tribuatur. Insuper et primicie et oblationes superaddantur, quatenus sibi persone spirituales plene divinis vacare possint et pro omni populo deum exorare. Et revera quando sic fit, non minor sed major labor clero incumbit, quamvis hoc non omnis homo equaliter advertat. Rursum quia pro agricultura exercenda temporalis pax est necessaria, immo secundo rustici debitores fiunt principibus terrenis et militibus et judicibus ac aliis in dignitate seculari existentibus, sine quibus nec ab hostibus nec inter se pacem haberent. Aliis autem mechanicis de jure communi [Bl. D 6] nihil dant, nisi quantum ipsis serviunt. Si autem inter eos sint aliqui contractus justi privatim initi de consensu cleri et principum aut alias juste prescripti, habent modum suum, ita tamen, quod semper commune bonum preferatur privato. Similiter nec mechanici tenentur rusticis de communi jure, nisi quantum solvunt ipsis pro suis laboribus. Clerici autem et milites utriusque debitores sunt, quilibet secundum statum suum.

Et quia istis, quando recte faciunt, major labor et majus periculum imminet, immo etiam major honor ipsis debetur. Dicuntur enim status regitivi, quia alios regere habent. Nam prelati spirituales cum suis clericis regerunt populum christianum quoad spiritualia, principes vero seculares cum suis officiariis quoad temporalia. Omnia hec tam pulchro ordine in primitiva ecclesia instituta fuerunt, ut cuilibet statui rationabiliter sufficeret nec aliquis gravabatur. Similiter etiam olim apud Judeos et gentiles, prout in plurimum. Sed proch dolor hic tam pulcher ordo hominum malicia invalescente tam multipliciter hodie confusus est, ut verisimiliter nunequam ad pristinum statum revocari possit. Hodie que clericis debentur laici possident, que principibus deputata fuerunt, stabularii occupant, que rusticis in suos ac familie ipsorum usus dimitti debuerant, tiranni violenter auferunt.<sup>29)</sup> Sicque fit, ut vis jus mensuret nemoque in suo jure permaneat. Omnim horum causa peccatum est.

Sed quia hic de informatione rusticorum principalis intentio est, immo oportet, ut aliquorum eorum vitia tangentur, ne sibi quasi innocentibus blandiantur et per consequens injuste affligantur, que tamen non omnes equaliter perstringunt, sed quosdam, qui tamquam filii Belial sine jugo vivunt. Qui ergo innocentes sunt, audiant libenter, ut diligentius caveant et deo gratias agant aliosque informent. Qui vero rei sunt, audiant patienter, ut emendentur, ne post hec mala pejora eis proveniant. Legimus in sacris libris ac parentum nostrorum relatione didicimus, priora tempora rusticos habuisse dignissimos: moribus graves, fide integros, simplicitate redimitos, humilitate precipuos, castitate preclaros, sermone veridicos, doli ignaros, sacro labore intentos, sobrios, compositos, compassivos, benivolos, caritativos ac omni justicia ita plenos, ut, si grandia munera promereri potuissent, nec fallere voluissent nec valuissent. Sic studio se suis dominis obedire satagebant, cuncta debita prompte solvendo sine querela, ut potius sibi ipsa nature necessaria subtraxissent, quam fraudem aut simulationem sive diminutionem excogitassent. Sic se ad contribulos suos ac ceteros, quibus convivebant, diligentissime custodiebant, ut nulli facerent, quod sibi fieri non voluissent et

quod sibi ab aliis fieri cuperent, pro viribus tota diligentia adimplerent. Sicque pacifice inter se vivebant, ut ne dum plerent. Sic quoque pacifice inter se videbant, ut ne dum ad judicium non venirent, sed, quod esset judicium [Bl. D 7] aut sigillum sive litera aut excoricacio et alia similia, periter nescirent. Fueruntque hec quorundam piorum rusticorum veterum lamenta, dum puer eram. O! O! Ubi est jam ille bonus antiquus mundus, de quo aliquando vidimus quosdam tam legales viros ac feminas! Eya quid jam comminus, quod audi-  
mus nunc! Quare autem ista dixerint, patet ex sequentibus.

His tam glorioisis virtutibus juxta divinum promissum succedebat mentis securitas, temporum tranquillitas, opulentia in rebus, sanitas in corporibus, prosperitas in diuturna pace, honestas in familia, reverentia et gratitudo ad omnem populum, mors secura et vita perhenniter mansura. Ast heu nostra etas miserabilis plurimos his temporibus rusticos habet distortos mente et moribus, conversantes sine timore, sine federe, sine benignitate, invicem detrahentes, invicem modentes, invicem nocentes, invicem provocantes, absque misericordia, absque caritate, superbos, tumidos, ingratos, inobedientes, dolosos, mendaces, bibilos ac ut ebrios super modum, percussores luxuriosos, ociosos ac breviter dicam ita execatos<sup>30)</sup> nec et perversos, ut nesciant, quid sit christiana vita aut scire velint. Ita desides et tenaces, ut nuncquam bonum facerent aut debita persolverent sine coactione. Sic potationibus nocte et die vacantes, ut tabernarii omnem questum eorum sibi usurpent nihilque uxoribus ac filiis et familie remaneat. Hiis tot ac tantis malis subsequitur dissuetudo pessima in domibus, videlicet quando patres familias, qui subjectos instituere deberent et a malo prohibere, met<sup>31)</sup> sunt perverse vite. Tunc labor negligitur, industria illa multa et sollicitudo continua, que agriculture est necessaria pervipenditer lingua ad omnia in-  
honesta et maledica verba laxatur ceteraque membra totius corporis viciis substernuntur. Et quia rustica gens pro majori parte literas nescit,<sup>32)</sup> immo postquam mala consuetudo naturam pessimavit, fiunt pene incorrigibiles, quia, sicut aliud nil viderunt nec sciunt nec didicerunt, putant sibi totum licere, quod animo occurrit, totum esse bonum,

quod solitum contrarium, asserentibus non credunt et sic penitus verecundiam amittunt. Jam sic induratis respondendum est, cum conqueruntur de tot plagis revera magis, que proferunt ultra alios homines et dicendum, quod, quia non stant in bona vita patrum antiquorum, immo non sunt digni, ut temporalis prosperitas eos comitetur neque ut clementia aeris perfruantur. Quia eciam frons meretricis facta est eis et erubescere nesciunt et indurati se emendare nolunt, immo duros tirannos habere debent, qui eos sine miseria conterant, sicut vitrum, si forte vel sero ad cor redeant et a perversitate sua recedant. Itaque de decimis dicere incepimus, quas domino deo, qui omnia largiter dat,<sup>33)</sup> solvere deberent. Sed jam superfluum arbitramur de hoc loqui cum exigente pertinacia et inobedientia rusticorum. In tantum excreverunt pensiones quotidiane, quod vix decimam sibi retineant capiuntque domino, quod sibi placet nec aliud pro jure habent, nisi quod volunt. Sic sic oportet audire vitricum, qui spernit dogmata patris. Sic tollit fiscus, quod non accipit Christus. [BL. D 8] Ita oportet, ut discant differentiam inter servitium dei et hominum, quia, qui mandatis dei obedire contempsit, que gravia non sunt, portabit onus hominum velit nolit, ut experiatur, quod deus verax et justus est. Nec ista gravamina tirannorum sufficiunt, quinymmo ignis, grando, fulgur, frigus, cauma, locusta, brucus, erugo, vermis, sterilitas, aer, ventus, nebula, aqua, nix, glacies, spiritus procellarum et tandem totus orbis terrarum pugnabit contra insensatos. Ubi dicit beatus Iheronymus XVI qu. II capitulo: „Revertimini! Si quando fames et penuria et rerum omnium egestas opprimat mundum, sciamus hoc ex dei ira descendere, quia fraudatur in decimis et primiciis. Item Augustinus: „Decime tributa sunt egentium animarum, quod, si decimas dederis, non solum habundantiam fructus accipies, sed eciam sanitatem corporis consequeris. Non igitur dominus deus tuus premium postulat sed honorem. Noster enim deus, qui dignatus est totum dare, decimam a nobis dignatus est recipere et non sibi sed nobis sine dubio profuturam. Sed si tardius dare peccatum est, quantomagis pejus est peccatum non dedisse! De militia, de negotio et de artificio redde

decimas! Cum enim decimas dando et terrena et celestia premia possis promereri, pro avaritia dupli benedictione fraudaris. Habet enim dominum justissima consuetudo, ut, si tu illi decimas non dederis, tu ad decimam revocaberis. Dabis impio multa, que non vis dare sacerdoti. Benefacere deus semper paratus est, sed hominum malicia prohibetur. Decime etenim ex debito requiruntur et qui eas dare noluerit, res alienas invadit. Et quanti pauperes in locis suis, ubi ipse habitat, illo decimas non dante fame mortui fuerint, tantorum homicidiorum reus ante eterni judicis tribunal apparebit, quia rem a domino pauperibus delegatam suis usibus reservarit. Qui ergo sibi aut premium comparare aut peccatorum desiderat indulgentiam promereri, reddat decimam et de novem partibus studeat elemosinam dare pauperibus. Hec Augustinus. Ex quibus verbis patet aperte et concordat sanctus Thomas in secunda secunde, quod decime et oblaciones ad sacerdotes pertinent, non ut eas solum in suos usus convertant, sed ut eas fideliter dispensent, partim expendendo eas in hiis, que pertinent ad cultum dei, scilicet ad ecclesias edificandas vel reparandas, sive conservandas, ad sacra vasa et vestimenta, ad luminaria continenda et similia. Partim in hiis, que pertinent ad proprium victimum et vestitum et ad decentem familiam juxta sui status religiosam frugalitatem in omni castitate et sobrietate, non ad secularem pompam et libidinem aut consanguineorum promocionem aut hujusmodi. Et partim in usus pauperum, qui, quantum fieri potest, sunt de rebus ecclesie sustentandi. Ecce quam salubris doctrina, que ad omnia spiritualia respectum habet. Juxta illud Iheronymi et Ambrosii: „Quod superest, pauperum est.“ Et iterum: „Quicquid habent clerici, pauperum est.“ Ex quibus et similibus piorum laycorum conscientie merito gaudere debent, quando ad tales usus eorum decime convertuntur et alia quecunque spiritualibus personis exsolvunt aut largiuntur. Patet etiam, quod ad hujusmodi sive [Bl. E 1] danda sive exsolvenda alacres esse debent et hilares, semper in corde habendo,<sup>34)</sup> quod non homini ut homini, sed ut in persona Christi cuncta largiantur. Hilarem enim datorem diligit deus. Et ipse Christus dicit: „Quod uni

ex minimis meis fecistis, mihi fecistis“ et ad prelatos: „Qui vos audit, me audit et qui vos spernit, me spernit.“ Quia si viderint layci, quod ad predictum usum clerici non expendant bona ipsorum, possunt eos humiliter et reverenter admonere, ut videlicet memores sint officii sui singula debite dispensando, prout de jure tenentur. Et si se non correxerint, possunt super hoc avisare prelatos eorum ut ad idem cooperentur. Si autem neque emendatio fuerit subsecuta, debent totum domino deo remittere cum omni securitate, quia ipse disponet omnia secundum ordinem benedictie sapientie sue, quod nihil de merito peribit hiis, qui honorant sanctum nomen suum, eciam si sepedicte decime et oblationes sive alie quecunque pensiones per maximos peccatores consumerentur. Ymmo sepe plus merentur layci devoti in tali casu propter virtutem pacientie, quia tunc vere probantur deum honorare, quando solitas decimas et oblationes sive alias pensiones quascunque patienter illis solverint sincere propter deum, qui ex sua virtute hoc non merentur. Sicut in Ezechiele dicitur: „Signum thau T<sup>35</sup>) super frontes virorum ac mulierum dolentium super cunctis abominationibus Jeherusalem.“ Ubi dicunt sancti communiter, quod, quando aliquis videt malum fieri et dolet et libenter illud emendaret et non potest, tunc ceteris paribus plus meretur, quam si illud emendatum fuisset. Hoc est, quia pia mens plus ex hoc cruciatur. Securi sint ergo timorati rustici, dummodo ipsi non consentiant et faciant de necessitudine virtutem, quia sicut eisdem expensis vivitur bene et male, sic eisdem laboribus merentur celum et infernum. Qui enim humiliter et patienter laborando ex bono corde se quotidie cum Christo crucifigit, ut superioribus suis debita persolvat, non dubium quin regnum dei meretur. Qui vero involuntarie et cum murmure et corde rancoroso laborat, filius est diaboli, qui bene affligitur et post hanc vitam dampnabitur. Ecce vos omnes, qui laboratis, istud diligenter advertite et pensate, quam necessarium est vobis cor benivolum. Nam unus et idem labor nonnumquam a duabus impensus unum mittit ad celum, alium ad infernum. Quare? Quia et si par est labor, non est tamen par intentio laborantium. Sic duo

similes pensiones aliquando solvunt aut servitium impendunt. Unus libenter cum intentione placendi domino deo, alias coacte et sine tali intentione. Primus meretur vitam eternam, secundus supplicium sempiternum. Sic de omnibus aliis. Bonam siquidem voluntatem et simplicitatem cordis diligit dominus deus. Et quicquid ex illa procedit, gratum est sibi. Quod autem ex illa non precedit, abominabile est, quantumcunque etiam sit magnum et preciosum. Quid ergo restat, nisi quod quilibet fidelis rusticus dirigat intentionem suam secundum hanc sanctam doctrinam et bene securus erit. Neque hic est opus magna subtilitate aut difficultate [Bl. E 2] quia nil tam facile est unicuique homini quam bonum velle. Et hoc injustis operibus sudanti satis est. Gratia igitur dei concurrente, que omnibus parata est, facilis bonus et timoratus rusticus potest mereri celum quam perversus infernum. Sed ut omnes salvi fiant, qui stat, videat, ne cadat et qui cecidit, resurgere festinet. Quod vobis tribuat clemens et misericors deus, qui est benedictus in secula. Amen.

Septimo debet quilibet fidelis et timoratus rusticus solemnitates et jejunia ac ceteros ritus ecclesiasticos devote observare.

Hoc est preceptum ecclesie dei, quam spiritus sanctus infallibiliter regit. Qui ergo hoc non observat, spiritui sancto contradicit. Quomodo autem ista et quo tempore debeant observari, in parochialibus ecclesiis et communis populi laudabili consuetudine denunciatur. Ubi est advertendum, quod in hiis magna est discretio necessaria et multi multipliciter errant. Nam primo quoad solemnitates ecclesiasticas quidam putant satis esse, si non corporaliter laborant, sicut aliis diebus et ideo dormiunt diu, aut ludos exercentium balistis aut aliis, que sunt non minus laboriosa, occupantur, quasi pro solatiis. Item quidam vacant potationibus, coreis aut taxillis et hujusmodi. Item quidam sollicitantur nimis diebus festivis, quid faciendum sit in futura septimana, aut de aliis tractant rebus temporalibus, quasi hic perpetuo mansuri sint. Omnes tales non recte celebrant, quia ad hoc dies festi non sunt instituti. Ymmo qui peccant diebus festivis, plus offendunt dominum deum quam

aliis diebus. Et est proch dolor mala consuetudo, quia directe contrarium faciunt quidam, videlicet quod plus vacant operibus precaminosis diebus sacris quam aliis, cum deberent econtra tunc amplius vacare domino deo et emendare quicquid minus bene fecerunt diebus ferialibus. Hec est antiqui hostis versutia, ut, quicquid spiritus sanctus instituit pro animorum salvatione, ipse convertat ad animalium dampnationem. Unde propter hoc minus malum esset, quod tales operibus mechanicis et licitis occuparentur quam ut commessionibus et tripudiis ac sedicionibus vacarent. Sunt praeterea nonnulli, qui econtra nimis strictam habent conscientiam, videlicet quod nec aliqua necessitate, utilitate liceri sibi putant quicquam operandum. Pro quo est advertendum, quod medium est tenendum. Nam sunt multa opera carnalia, que possunt fieri in diebus festivis, scilicet preparatio ciborum, adaequatio sive pastio pecorum et extractio eorum, si in foveam ceciderint aut hujusmodi, curatio infirmorum, venditio et emptio necessariorum. Item quando imminet periculum ignis aut incursus hostilis, licite possunt solita remedia applicari. Similiter propter improficuum cursum aeris possunt blada<sup>36)</sup> meti aut congregari in horrea et similia fieri, que necessitas aut communis utilitas requirit. Item de allecibus capiendis et mundinis publicis exercendis et hiis, que ad hujusmodi necessario requiruntur. Idem est judicium. In omnibus talibus et similibus est pie procedendum propter necessitatem aut evidenter utilitatem. [Bl. E 3] Dicitur notanter propter necessitatem aut evidentem utilitatem, quia, si hujusmodi fierent propter cupiditatem aut aliam factam causam minus justam, non essent sine peccato. Datur eciam doctrina salubris a sanctis doctoribus, pro majore serenacione conscientiarum, quod tales, qui in predictis casibus minus possunt divinis interesse, propter predicta opera exercenda suppleant in elemosinarum largitiore datione et aliis piis operibus, ut sic efficiantur participes spiritualium, rependendo temporalia. Studeant eciam, si possunt, unam missam audire aut preces fundere cum intencione plus faciendi, si tempus permitteret, aut in posterum supplendi, quando plenius ad hujusmodi vacare potuerint.

Secundo quoad observantiam jejuniorum similiter plures errant. Nam sunt nonnulli, qui jejunia nec in qualitate nec in quantitate observant et horam prevenire non curant aut iterato reficere nihilque advertunt statuta ecclesie aut bonam consuetudinem illorum, quibus convivunt. Hii sine timore conversantur et graviter delinquent. Sunt preterea alii, qui econtra nimis scrupulose jejunare contendunt in nullo rigorem remittentes, quare etiam in varias sepe infirmitates incident et nonnuncquam vesani perpetuo efficiuntur. Sed medium est tenendum, ut videlicet caro discrete maceretur, ne lasciviat, et nihilo minus in sacro labore durare possit. Sunt namque plures casus in jure descripti, in quibus sine peccato jejuniam solvi potest. Videlicet propter infirmitatem, paupertatem magnam et medium precedentem, propter labores magnos et necessarios, qui non possunt fieri sine commestione. Item propter viam peragendam ex mandato principis, quando scilicet cursores debilitantur ex fatigacione itineris. Item de servientibus ad mensam principum et peregrinantibus ex justa necessitate, de mulieribus impregnatis et nutricibus sive lactentibus, infirmis, debilibus, senibus et aliis similibus est pie standum arbitrio alicujus boni viri, qui juxta dictamen rationis et laudabilis consuetudinis, pro loco et tempore pronunciet, quod unicuique expeditat. Quoad tertium, scilicet de ceteris ritibus ecclesiasticis, est firmiter tenendum, quod, quicquid sancta mater ecclesia, hoc est communitas fidelium observat, tam in sacramentis quam in aliis ceremoniis aliisque consuetudinibus sanctis, hoc debet quilibet christiani nominis professor ex animo venerari et devote exequi quelibet, quod sibi ex suo officio et statu incumbit. Et quicquid contra hoc insurgit, tanquam omnino mortiferum ac venenosum abicere et persecui. Habet namque hujusmodi generalis observantia singulare privilegium apud deum, sicut exemplificatur de legibus generalibus provintie. Nam qui tales bene observat, multum commodum reportat et qui eas infringit, penam non evadit. Sic etiam de legibus ecclesiasticis est sentiendum. Unde contingit, quia peccator in domo sua seorsum orans non exaudiatur, si autem ad ecclesiam venerit, exaudiri meretur propter communis orationis

efficaciam. Ita qui pallatum regis solus intraret, sepe nihil impetraret, ymmo repelleretur. Sed si debito tempore cum aliis venerit, [Bl. E 4] solito beneficio non privaretur. Legimus quoque in ecclesiasticis hystoriis, quod illos divina majestas a diebus antiquis semper multiplici benedictione replevit, qui libenter divinum cultum dilexerunt et auxerunt. Testes sunt David, Ezechias, Salomon, Constantinus, Karolus ac alii innumerabiles, qui tam hujus quam future vite beneficia consequuti sunt plurima. Econtra qui unius veri dei cultum destruere conati sunt sive dehonestare, semper fuere instar fumi defectibiles et infausti.

Pompejus, romane urbis proconsul ac vitor mirabilis, puta qui viginti duos reges bellando prostravit, postquam semel templum dei in Jherusalem dehonestaverat, deinceps nil prospere sibi unquam successit. Nam Julius eum superavit quotidie contra spem, cum fortissimum exercitum idem Pompejus haberet. Tandem ad regem Egipti, socerum suum, fugiens miserabiliter capite punitus fuit. Hoc inter universa exempla, que in mundo unquam scripta fuerunt contra vanitatem ejus quasi primatum tenet, quando tantus vir, qui nuncquam legitur succubuisse aut contra secularem justitiam aliud egisse, pro hoc solo sic punitus fuit, ut nullibi refugium securum invenisset. Crassus quidam prefectus post eum non solum templum ausus est violare, quin ymmo et thesauros, quibus Pompejus abstinuit, diripuit. Hic statim post a rege Parthorum superatus fuit et aurum liquefactum bibere coactus exspiravit. Quid ultra? Summas monarchias hujus seculi tunc defecisse legimus, quando contra dei cultum se erexerant: Assirii, Babilonii, Medi, Parse, Greci, Romani. Quid contra omnipotentis manum valuerint, in promptu est videre.

Sunt preterea exempla quotidiana de hiis tam plurima, ut vetera recensere non sit necesse. Scivi ante paucos annos principem quendam olim inclitum et dilectum, qui, postquam unius processionis sacramentalem, solempnem apparatum quasi hostiliter invasisset, licet nil perfecisset, tamen deinceps sic infortunatus in omnibus extitit, ut ipsemet quasi admirans diceret, quod nil prosperum in hoc mundo habere deberet. Tandem etiam sine sacramentis subito

vitam finivit. Scio diversa monasteria, que violentias a pluribus sustinuerunt, sed ita continue divina ultio invasores hujusmodi perculit, ut infra breve tempus horribili morte cuncti ab hac luce migrarent. In vita sancti Andree et beati Laurentii, Anthonii ac aliorum sanctorum plurimorum legitur, quanto zelo celestes patroni ecclesiarum suarum possessiones et jura defendant. Revera non est jocundum cum talibus sanctis, qui celo president et suos cultores de super quotidie tuentur. Non enim benedicti illi summi dei milites jugiter excoriciari, assari, flagellari ac fustibus cedi aut derideri volunt. Quantum et si semel in manibus impiorum derelicti videbantur, sed deinceps gloria et honore coronati sunt, potentes effecti ad juvandum omnes cultores suos et ad dejiciendum omnes adversarios ipsorum. De horrendis etiam plagis, que crebro contigerunt derisoribus sacrarum ceremoniarum ecclesiasticarum, tale exemplum ante [Bl. E 5] decem annos narratur evenisse. Militaris quidam in die cineris jocose sociis suis adhuc in lecto jacentibus cinerem imponens quasi ecclesiastico more, subito, antequam singulos circuisset, terribiliter oculos evertens in terram corruit et expiravit. Nonnulli quoque super feretrum se ponentes, quasi mortui essent, ut tali joco ad risum animos provocarent, fletum pro risu pepererunt. Multa similia diversa contigerunt, ut discamus nos, qui adhuc superstites sumus, divina venerari et neque cum deo neque cum sanctis ejus jocari. Nam ut ait apostolus: „Deus non irridetur, sed, que seminaverit homo, hec et metet.“ Advertant hec qui que fideles rustici et sibi caute prosciant. Studeant libenter festivitates devote propagare nec eas sine necessitate infringant. Sermonibus et horis sacris quantum possunt interesse festinent. Jejunia diligenter observent. Professiones ac alia sacra exercitia ecclesiastica frequentent, sacramenta venerentur, cultum dei pro posse augere conentur. Sicque in omnibus, que ad dei gloriam et animarum salutem spectant, se benivolos et promtos exhibeant, quatenus hic temporaliter et post eternaliter a domino benedici mereantur, eodem cooperante, cui laus est in secula. Amen.

Octavo debet quilibet fidelis et timoratus rusticus pauperibus, quantum facultas permittit, elemosinas elargiri.

Hoc est quod sanctus Thobias quarto filium suum docuit dicens: „Ex tua substantia fac elemosinam et noli avertere faciem tuam ab ullo paupere. Ita enim fiet, ut nec a te avertatur facies domini. Quomodo potueris, ita esto misericors: Si multum tibi fuerit, habundanter tribue! Sic exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude! Premium enim bonum tibi thesaurisas in die necessitatis, quoniam elemosinam ab omni peccato et a morte liberat et non patietur animam introire in tenebras. Fiducia enim magna erit coram summo deo elemosina, omnibus facientibus eam.“ Et dominus in evangelio permittit eis vitam eternam dicens: „Venite, benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est a constitutione mundi.“ Et ut sciremus, que sint opera misericordie, subdit: „Esurivi enim et dedistis mihi manducare. Sitivi et potastis me. Infirmiss fui et visitastis me. Peregrinus eram et collegistis me. In carcere fui et venistis ad me. Nudus eram et cooperuistis me.“ Econtra non facientibus hec opera dicturus est: „Ite maledicti in ignem eternum, qui paratus est dyabolo et angelis ejus.“ Hic est diligenter notandum, quod quidam perversi homines propter ista verba errorem quendam perniciosum dogmatisarunt, dicentes, quod quantacunque peccata commiserit homo, dummodo hec fecerit misericordie opera, non poterit dampnari. Et ratio eorum est, quia summa dampnationis pronunciabitur a judice tantummodo contra illos, qui ea non fecerint. Ecce quam absurda doctrina, quasi si aliud nihil scriptum sit in evangelio quam ista verba.<sup>37)</sup> Multi fuerunt hujusmodi falsi doctores, qui quasdam sacre scripture particulas [Bl. E 6] taliter secundum vesaniam capitilis sui extraxerunt et pro libito exposuerunt et plures deceperunt. Quos omnes timorati laici diligenter cavere debent. Unde beatus Augustinus dicit, quod ille optimus scripturarum tractor est, qui eas primum ex integro legerit et sic eas exposuerit, ut nullam in eis contrarietatem admiserit. Hoc quia superbi aut nolunt aut nesciunt, ideo multipliciter desipiunt. Quis enim laicus hoc nesciat, quod luxuriari, jurare, blasphemare et alia hujusmodi non essent peccata, si ab illo fierent, qui misericordie opera faceret. Quin ymmo notum est facilime

ex scripturis, quod plures hujusmodi opera fecerunt ex vana gloria, qui ob hoc mercedem non habuerunt apud deum. Et breviter dicendum est, quod quicunque opera exteriora quantumcunque magna, si fiant in peccato mortali, hoc est ex caritate, non sunt meritoria eterne vite. Unde et ob hoc dicuntur mortua. Bonum siquidem est ex integrâ causa, malum autem ex singulis defectibus. Quod ut simplicibus notum fiat, aspiciant<sup>38)</sup> corpus humanum. Si enim aliquis debet dici perfectus et formosus vir, oportet habeat singula membra integraliter et debite disposita. Si autem vel unum defuerit, jam non habet perfectum corpus. Sic etiam, quicunque esse desiderat verus cristianus, oportet, quod ab omni peccato mortali ad minus abstineat et bonam voluntatem habeat ad faciendum omnia opera bona, que suum statum concernunt. Et per consequens non solum debet misericordiam exercere ad proximum, sed etiam ad seipsum, sicut docet sapiens Ecclesiastici XXX dicens: „Miserere anime tue, placens deo!“ Ecce nunc bonam doctrinam! Qui animam suam immaculatam servat, optimam misericordiam facit et talis deo placet. Et quicunque deinceps proximo ex misericordia impendit, similiter deo grata erunt. Unde et in evangelio Mathei 23, antequam ad hec verba dominus venisset, premisit: „Pharisee cece, munda prius, quod intus est, ut fiat, quod foris est, mundum.“ Quasi diceret: Stultus et cecus es, si ad alios fueris beneficus et tibi ipsi perniciosus. Fac igitur in te primum misericordiam et deinde in proximum et tunc letus audies summam meam: „Venite benedicti patris mei etc.“ Verum non propter hoc prohibendi sunt peccatores ab operibus bonis, ymmo exhortandi, ut quicquid boni possunt, interim faciant, donec misericors deus cor eorum ad penitentiam<sup>39)</sup> emolliat. Unde dicit beatus Ieronymus et Augustinus, quod mala morte raro leguntur perisse, qui libenter opera pietatis exercuerunt. Nam tales habeat multos intercessores, quorum precibus adjuti citius gratiam dei promerentur. Sed sic sentire, quod peccata alia non noceant, si quis opera misericordie fecerit, extreme dementie est. Sunt plures doctrine satis pulchre de discretione habenda in elemosinarum largacione sed puto, quod hec rusticis non sint multum

necessarie, quare dimitto eas gratia brevitatis. Ipsi enim de paupertatula sua, prout cominus non valent magnas opes deducere. [Bl. E 7] Divites autem et maxime prelati regulis illis diligentius intendere habent. Sufficit rusticis, quod excepto necessitatibus articulo sic debent opera misericordie pauperibus impendere, ut non impedianter a solutione debitorum suorum. Hoc enim debet precedere, quod apostolus dicit: „Reddite omnibus debita.“ Deinde quod superest. Date de illis elemosinam indigentibus. Quia si visibilis necessitas immineat pauperi, ita quod, si non dederit, aut mortem aut infirmitatem notabilem incurreret, tunc sine omni discretione aut sollicitudine de crastrino omnia debent esse communia, secundum quod dicit beatus Augustinus: „Pasce fame morientem, si non paveris, occidiisti.“ Quod prompti debeant esse fideles ad hujusmodi opera misericordie, docet precipuus illi vir misericordiarum, beatus Gregorius, in multis locis. Unde narrat exemplum de quodam patrefamilias, qui cum tota domo sua sedule hospitalitati deservivit quadam vice, cum ex more acquam infundere vellet in manus peregrini, subito non comparuit. Mirans super hoc audivit nocte sequenti dominum sibi dicentem: Hucusque me in membris meis suscepisti, sed heri me ipsum. Similiter de martirio, qui Christum in forma leprosi portavit, sed dominus de collo ejus prosiliens ait: Tu me non erubuisti super terram, nec ego te erubescam super celos. Plura et alia reperiuntur exempla et doctrine salubres, que per anni circulum in ecclesiis predicanter, piis hominibus in consolacionem pro se et avaris in testimonium contra se. Sunt preterea opera misericordie spiritualia, que etiam fideles laici libenter pro suo modulo debent proximo subministrare. Et sunt hec: Docere et consulere indocto. Castigare peccantem vel increpare sive emendare aut corrigere delinquentem. Consolari tristem. Remittere offensam. Ferre auxilium aut patienter sustinere importunum sive contumeliosum, ne pejor fiat ex responsione. Orare pro aliis indifferenter. Sed ad hoc maxime prelati sunt astricti plus quam simplices, quamvis etiam pro loco et tempore suo modo ad hoc subditi teneantur. Studeant ergo quique fideles rustici pro viribus misericordie

operibus insudare, ut et ipsi misericordiam hic in eternum consequi mereantur a largo domino, qui dat omnibus affluenter et non improperat. Cui laus est et gratiarum actio debetur per omnia secula seculorum. Amen.

Nono debet quilibet fidelis et timoratus rusticus, quantum in se est, cum omnibus hominibus et precipue cum vicinis et cum contribulis suis pacem servare.

Hoc est, quod monet Apostolus ad Hebreos XII dicens: „Pacem sectamini cum omnibus et sanctimonia, sine que nemo videbit deum.“ Et dominus in evangelio mandavit discipulis suis de pace dicens: „In quamcunque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui. Et si ibi fuerit filius pacis, requiescat super eam pax vestra. [Bl. E 8] Sin autem, ad vos revertetur.“ Item ut breviter dominus eam nobis commendaret, ait: „Beati pacifici, quoniam filii dei vocabuntur.“ Ubi e contrario sensu expositores dicunt, quod merito filii dyaboli vocantur, qui pacem turbare non verentur. Hic est diligenter advertendum, quod ista pax sancta non potest servari nisi inter homines bone voluntatis, qui deum timent et justiciam diligunt. Et ergo avissandi sunt boni et pii laici, quod pacem peccatorum fugere debent et nequaquam ipsis consentire, quando ad mala trahere volunt. Quin potius eorum insultum patienter tollerari, antequam a via dei propter eorum iniquam pacem recedant. Et breviter dicendum est cuilibet christiano et precipue rusticano populo illud salvatoris: „In mundo pressuram habebitis.“ Restat ergo, ut sic se instituat timoratus rusticus, quatenus hec duo studiose observet, videlicet quod omnibus justiciam servet et eam sibi fieri a nullo expectet et quod omnibus pacem procuraret et a singulis persecutionem et contumeliam recipere sit paratus. Quia, si aliter sibi evenerit, hoc quasi pro miraculo habeat. Dicaturque anime sue illud consolatorium verbum beati Pauli apostoli: „Nos scimus, quoniam in hoc positi sumus. Quia omnes, qui in Christo pie vivere volunt, persecutionem patientur.“ Nec mirum, quia veri christiani sunt hic peregrini et in regione hostium Christi. Nam totus hic mundus conjuravit contra Christum, ut beatus Bernardus dicit. Sed

pius dominus non delinquit sperantes in se, quando erga ista pax temporalis turbatur sive inter principem, sive amicos aut vicinos, non debet ex hoc nimis dolere aut pusillo animo fieri bonus christianus, dummodo ipse non fuerit in causa, sed ad pacem sanctorum se convertere, quam reliquit Christus discipulis suis. Hec pax sancta est, quod homo bene stet cum deo suo et quod per omnia sit de hoc contentus, an velit eum esse pauperem aut divitem, sanum aut egrotum, honorabilem aut despectum, fortunatum aut infaustum et sic de aliis. Et quocunque evenerit sibi, libenter accipiat et gratias agat. Pax autem mundi ordinatur ad quietam fruitionem bonorum temporalium et est nihilominus donum dei et communiter eam tam electi quam reprobi desiderant. Sed quia frequenter eam concomitatur multiplicatio viciorum, immo est simplici populo multum periculosa, ymmo et sanctis hominibus. Quod sit populo rusticano periculosa, patet per illud Deuteronomii 32: Constituit scilicet populum Ysrahel, qui ad horam rusticanus erat, eum super excelsam terram, ut comederet fructus agrorum. Ut sugeret mel de petra oleumque de saxo durissimo. Butirum de armento et lac de ovibus cum adipe agnorum et arietum et hircos cum medulla tritici et sanguinem uve biberent melleacissimum. Incrassatus est dilectus et recalcitravit, incrassatus, impinguatus, dilatatus. De reliquit deum factorem suum et recessit a deo salutari suo. Et de Sodomitis dicitur Ezechielis XVI: „Hec fuit iniquitas [Bl. F 1] Sodome, saturitas panis et habundantia et otium ipsius.“ Hic dominus super Jherusalem flevit dicens: „Quia, si cognovisses, et tu fleres.“ Nam ea, que sunt ad pacem tibi nunc, subaudi, sunt tibi summe pernitiosa in futurum, quamvis id ignoreas. Ex hiis et aliis sanis doctrinis et experientia quotidiana exivit illud notabile proverbium, quod rustica gens est optima flens, sed pessima gaudens. Legitur in vita sancti Ambrosii, quod, cum quadam nocte apud quendam ditissimum rusticum hospitaretur et ab eo audisset, quam felix status ejus semper fuisset et quod nihil triste unquam sibi accidisse, ait vir sanctus ad suos: Surge et hinc velocius fugiamus, quia dominus non est in loco isto. Mox illo egresso terra se

aperuit et hominem illum cum tota substantia sua absorbuit. Similia multa de aliis leguntur. Restat ergo simpliciter fateri, quod magna est misericordia dei, quod hec temporalis pax aliquando turbatur, ne propter hujusmodi carnalem petulantiam homines bestiis similes efficerentur et per consequens nuncquam ad angelicam dignitatem proficere cuperent, ad quod facti sunt. De illa autem pace domestica, quam inter se rustici servare debent, ymmo et cristiani universi, dicit apostolus: „Sollicite servare unitatem spiritus in vinculo pacis.“ Ubi dicit Cassiodorus.<sup>40)</sup> „Nec inveniri potest forma expressior conversationis angelice quam unitas socialis.“ Hinc Petrus ait: „Ecce quam bonum et quam jocundum habitare fratres in unum.“ Ubi dicit beatus Augustinus, quod sunt aliqua bona, qui non sunt jocunda sicut jejunare, laborare et similia. Sunt etiam aliqua jocunda, que non sunt bona sicut deliciari, solari et similia. Sed habitare fratres in unum periter est bonum et jocundum. Ad hanc pacem requiritur sollicitudo magna et diligens custodia neque tantum bonum gratis venit, aut perseverare solet, nisi cum ingenti studio, etiam inter illos, qui probate vite esse videntur. Quod si quandoque ex parte interruptum fuerit, citus debet ad pacem fieri recursus ejus, si tardior mora intervenerit, divina providentia a nostris moribus se subtrahat. Ait enim beatus Iheronimus ad Rusticum monachum, tractans illud psalmiste. „Declina a malo et fac bonum, inquire pacem et persequere eam.“ Pax querenda est, ut bella fugiamus. Nec sufficit eam querere, nisi inventam fugientemque omni studio persequimur, quia in pace habitat deus.<sup>41)</sup>

Rem refero brevem verbo sed gravidam sacrorum pro domestica pace conservanda. Mulier quedam in Anglia fuit bene fidelis ac virtutibus plena et precipue hospitalitati super vires intenta. Hec propter longum usum bonorum operum sancta, ut vere fuit, reputabatur. Verum in uno deficiebat, quod malos et injuriosos homines sibi vicinos, qui eam crebro et indigne molestabant, non omnino equanimiter tolerabat, quin ymmo et aliquando minus patienter eis respondebat. Igitur post aliquod tempus, cum jam diu defuncta fuerat, quidam vir sanctus eam in penis purgatorii

videns mirabatur, quod tante fame femina adhuc illic detineretur, que nihilominus graviter pro sua impatientia, quam admiserat, flere et penitere solebat [Bl. F 2]. Cui dominus visionem exponens respondit: Ego steti coram Pilato et pro hominum peccatis satisfaciendo silui ad contumelias illatas, non pro peccatis meis. Hec autem, quia me in hoc imitari neglexit, ideo nunc justum est, ut magna acerbitate purgetur, ne aliquod malum maneat impunitum. Ecce, karissimi, bonam doctrinam, quomodo scilicet turbacionis tempore patientes esse debemus et mutue paci providere. Et quamquam injuste<sup>42)</sup> invadimur, tamen ex hoc non datur nobis licentia malum pro malo reddere, sed in bono vincere malum precipimur. Ut videlicet ad tempus patienter contumelias aut alias injurias sufferamus, aut blande leviterque respondeamus, ne proximum nostrum, pro quo Christus preciosum sanguinem suum fudit, nostro furore pejorem faciamus. Qui hoc modo facere dissimulat, graviter postea recompensabit in tormentis. Qui nescit modo tollerare verba, tunc eum scire oportebit tollerare gravissima verbera et ardores horrendos. Nunc igitur, o venerabiles rustici ac ceteri laici quicunque, tam viri quam femine, cogitate nunc de periculo, dum agitur de periculo, pacem diligit, in qua deus habitat, ut deus vobiscum permaneat nec pro vile tantum dominum repellere velitis. Potius injuriam pro ipso patienter accipite, quam reddatis, considerantes, quod ex mutua contentione infinita peccata oriuntur. Omnibus ergo modis in silentio et pace vitam hanc brevem transire satagite, condonantes invicem, sicut et deus in Christo condonavit vobis, quatenus de pace ad pacem migrare mereamini, vobiscum manente deo pacis et dilectionis in cordibus vestris. Cui laus est et gloria per infinita secula seculorum. Amen.

Decimo debet quilibet fidelis et timoratus rusticus sollicite ad hoc niti, ut familiam suam laudabiliter regat.

Quia, ut dicit apostolus ad Timotheum: „Qui suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit et est infideli deterior.“ Qui ergo patres familias sunt, primo debent seipsos instituere, ne sint reprehensibles,

fidem illibatam uxori servantes, sobrii, prudentes, pudici, modesti, non violenti, non percussores, non litigiosi, non cupidi, non bilingues, non turpe lucrum sectantes, non in honesta, non maledica verba loquentes, non deridentes, sed compatientes, non leves, sed legales esse studeant. Habeant deinde curam sollicitam erga uxores suas, ut eas diligent et diligenter caveant occasiones displicantiarum nec faciliter credant illis, qui inter se discordias seminare volunt, qui nuncii dyaboli sunt. Similiter uxor virum honoret et humiliter recognoscat eum sibi divinitus prelatum neque cum aliis viris familiaritatem habeat aut colloquia, nisi pauca et in tali modo, ubi nulla suspicio oriri possit. Timendum siquidem est, nisi mulier caute preveniat virum eum venerabiliter tractando tam verbis quam aliis servitiis benivolentie, [Bl. F 3] quod cito antiquus hostis seminarium periculose discordie inter eos mittet. Et quamquam principaliter in viro rei familiaris salus constituatur, tamen sine conjugis fideli adjutorio ipse parum aut nihil proficiet. Mulier quoque sine viri defensione flebilis creatura est, que, si diligenter ambo advertant, quam scilicet sit ipsis mutua dilectio necessaria et mutuum fidele juvamen, tunc merito quilibet alteri deferri debet, quia revera, quicquid fit uni eorum, sive bonum sive malum, in alterum redundabit. Hic per apostolum dicitur ad Colossoſ III: „Viri, diligite uxores vestras et nolite amari esse ad eas.“ Item ad Ephesioſ V: „Viri debent diligere uxores suas ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. Uxor autem virum suum timeat.“ Hec si ita fiant, domus ipsorum firma erit et sancti angeli juvabunt eos contra omnes incursus malorum et florebunt sicut vitis et filii et filie eorum sicut novelle olivarum.

Multa et grandia laudum preconia dicuntur in sacris libris de hac sancta concordia et unanimi fidelitate conjugatorum ad invicem, sed exhibitio in re est multo felicior. Satis in hoc concordant, quod probitas mulierum omnino sit prerequirenda in utili regimine domus et frequenter discoli mariti lucrifaci sunt per uxores sensatas. Hinc Ecclesiasticus XXX dicitur: „Sicut sol oriens in mundo, sic bone mulieris species in ornamentum domus ejus. Disciplina

illius datum dei est. Gratia ejus delectabit virum suum et ossa illius impinguabit. Gratia super gratiam mulier sancta et pudorata et mandata dei in corde ejus.“ Monende sunt igitur uxores, ut maritos diligent ac propinquis ipsorum honorare assuescant, quia hoc specialiter viris acceptum est et quasi naturaliter insitum, quamvis non nunquam aliter ore loquuntur. Sanguis etenim sanguinem tangit. Pariformiter et viris propinquis uxorum suarum benivole tractent, propter eandem causam. Deinde monende sunt uxores, ut discant familiam prudenter regere, gubernare domum et seipsas irreprehensibiles exhibere, verba quoque carnalia et inhonesta tamquam pestem fugere, a quocunque eciam dicantur. Et est quasi mirum dicere, quomodo mariti in hoc majorem ex corde habent complacentiam, quando verbis inhonestis ac gestibus lenociniis a suis uxoribus reprehenditur, quam si in talibus plausibiliter sibi consentirent. Iстis sic presuppositis, videlicet quod vir et mulier sibi mutuo sint bene consentientes, tamquam anima una et caro una in domino jam spes est de salubri statu ipsorum et utili regimine rei familiaris et alias non. Si igitur eis sint filii et filie, erudiant eos in domino secundam doctrinam apostoli ad Ephesios VI dicentis: „Patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate illos in disciplina et correptione domini.“ Et iterum: „Patres, nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant.“ Diligenter etiam advertant parentes, qualis inclinationis sint filii, quia nonnulli sunt mollis complexionis et naturaliter verecundi, alii duri et audaces, quidam benivoli, quidam protervi [Bl. F 4]. Et prout singulis expedit, ita disciplina moderentur. Familiam quoque ita gubernare studeant, ut neque nimis seriose neque nimis blande, sed medie temperate ipsis precipiant. Nam regimen nimis durum precipitat et regimen nimis laxum negligit curam domesticam. Quod autem temperatum est, prudenter conservat et fortiter auget proventus quotidianos sicque fiet, ut et timori aut amori paterfamilias habeatur a domesticis suis. Et quia sancta scriptura dicit. „Nisi in timore dei tenueris, te citius subvertetur domus tua,“ immo sollicite providere debet, ut tam famuli quam famule deum timeant.

et in preceptis ejus ambulent neque sustinere eos in domo sua debet, si in mortalibus peccatis, maxime publicis, vivere non formident. Timendum siquidem est secundum doctrinam beati Augustini, quod paterfamilias coram deo teneatur rationem reddere non solum de peccatis prolium suarum, sed etiam totius familie, si ipsos non correxerit aut disciplinam debitam non dederit. Et, si opus est, a se penitus non abegerit, si contumaces permanserint. Quantum igitur potest, curam impendat, ut honestam familiam habeat et firmiter confidat in domino, quod, si plus talibus largiatur propter eorum virtuosam conversationem, quod plene hoc omnipotens deus sibi restituat et hic et in futuro. Honorifice etiam et ex industria consilietur cum famulis suis, maxime quos prudentiores noverit, quid et quando singula queque fieri debeant. Concordant enim in hoc yeconomi expertissimi, quod familia digne regi nequit, nisi cum magna providentia et precipue ea, que ad agriculturam spectant, quia ad plura respicere oportet. Et ideo ubi plurima salus speratur, ibi multa consilia precedere debent. Sunt proinde singula aptanda temporibus suis, juxta quod sapiens dicit, quia omne opus tempus suum habet. Est enim tempus plantandi, tempus evellendi, tempus seminandi, tempus metendi, tempus arandi, tempus complanandi, tempus fimandi, tempus tribulandi, tempus purgandi, tempus instrumenta preparandi, tempus laborandi, tempus quiescendi, tempus premeditandi, tempus exequendi et sic de aliis. Quod si in aliquo istorum negligentia aut pigritia sive inertia aut imprudentia se immiscuerit, tunc totum regimen detrimentum patietur et dampnum sequetur. Non sic est usquequaque de aliis officiis mechanicis, prout ad oculum quotidiana experientia edocet. Magna igitur vigilantia et industria rusticis necessaria est ad tam varia et pene contraria prosequenda, ad que unus aut pauci non sufficiunt. Unde et beatus Bernardus utile consilium dat hiis, qui diversis curis gravantur, videlicet quod eligere debent aliquem fidem famulum, cui omnia committant, cum auctoritate ita, quod, quicquid faciat, sit factum, quicquid jubeat, sit jussum neque facile contra talem querelam recipient et nihilominus ipsi diligenter advertant, ut negocia debite

tractentur. Qui sic procedunt, proficient, qui autem per se cuncta disponere volunt neque consiliis [Bl. F 5] acquiescere peritorum, tales seipso inutiliter involvunt et alios impediunt familiamque crebro tanto tedio affligunt, ut ad nihil, quod utile est, sufficiat. Expedit quoque famulis ac famulabus ipsis, si moderate honorentur ac aliquando de bene actis recommendentur. Nam quando post magnos labores semper indignaciones reportant, pusillo animo fiunt et quasi de seipsis desperati naturaliter infirmiores redduntur nec unquam ad ea, que laude digna sunt, consurgunt. Homo autem hilaris et bone spei fortificatur in naturalibus suis et grandia confidenter procedit et precipue, quando benivolenter et venerabiliter prevenitur. Hac practica Julius Cesar usus fuit, qui subditos suos commilitones appellavit nec unquam eis dolum aut irreverentiam exhibituit, quare tanta eos fidelitate sibi astrinxit, ut corpus et animam pro se dare promptissimi essent. Factumque est, ut tantorum virorum adjutorio suffultus Victor in orbe fieret. Hominis namque animus naturaliter nobilis est et potestati recalcitrat et immo facilis ducitur quam trahitur. Qui autem benevolentia non vincuntur, objurgacionibus provocandi sunt et potestate premendi, si nimis irrationaliter lassati fuerint. Ubi est notandum, quod sunt quidam patresfamilias, qui quadam mala et inutili clementia familiam suam destruunt pro eo, quod nulla strenuitate ad viriles labores eam instituunt nec desides corripiunt neque valentes in bona actione et ordinata dieta perseverare faciunt sique fit, ut nec sibi nec aliis in posterum utiles sint. Et est revera magnum malum. Nam simplices et bone voluntatis homines hac occasione simul in corpore et anima destruuntur. Qui enim semel sacros labores dissuescit, raro ad eosdem perfecte redibit. Hinc beatus Bernardus ait: „Si dimiseris rusticum, ne laborem continuet, statim molescit. Quia si laborare cessaverit, quo merito eternam obtinebit vitam? Orare nescit, contemplari, meditari, studere, legere ceteraque studia spiritualis vite ignorat. Et quid sibi restat nisi ocium? Ocius autem diu rationalis creatura sustinere non potest. Restat ergo, ut, si laborare in vacacione sua cessaverit, ad vicia ruat et dyaboli cibus fiat.“ Hec sunt mer-

cimonia libertatis male. Non segnem quoque operam idem pater sanctus, cum inclitus fratribus suis agriculture impendebat, tam pro virtutibus acquirendis quam pro quotidiani victus alimonii adipiscendis. Preterea nedum orthodoxi patres hoc censerunt, sed et gentilium industriosa nobilitas idipsum luculenter advertit. Unde apud eos duo status esse memorantur, qui specialiter ad laborandum sunt instituti, videlicet militaris et ruralis. Legitur namque, quod summus ille orbis monarcha Octavianus militibus suis tantam disciplinam indixit, ut neque usum vel colloquium feminarum, neque delicias, neque ocium [Bl. F 6], neque vestitum molliorem ipse indulserit, sed exercitium continuum cum cibo grosso et aspero indumento. Nam delicie et mollior vestitus cito virilem animum enervant. Eya ubi sunt hodie quidam milites nostri ac rustici? Ubi strenuitas ipsorum inveniri poterit? Nonne sunt lupusculis timidiiores, nonne feris molliores? Sed venerabiles rustici parva exempla respicere non debent, quinymmo secundum vocationem suam semper memores sint, quod ad statum sanctum et humilem ac laboriosum vocati sunt a domino deo. Et immo cavere debent, ne in vestitu aut cibo sive potu ac ceteris, que ad usum familiarem spectant, aliquam ostentacionem sive preciositatem admittant, pro certo scientes, quod, si aliter fecerint, tam deum quam sanctos angelos, quam etiam totum mundum contra se provocant, ut auferant ea, in quibus male delectantur. Sit ergo mensa pro quotidiano victu de cibis substantiosis et simpliciter preparatis non delicatis, quia hujusmodi cibi delicati faciliter digeruntur et naturam minus juvant. Cibus autem simplex et substantiosus ac uniformis naturam roborat, sanitatem conservat et ad laborandum corpus aptat et bene in stomacho durat. Delicie vero ac crebre epularum variationes naturam inflammant et dissipant ac plures egritudines introducunt. Testes sunt deliciati cives, viri ac femine, et alii, quicunque epulationibus quotidie vacant, quia diversis tortionibus et infirmitatibus gravantur, de quibus laboriosi rustici nihil pene sciunt. Et est ubique mirabile judicium dei, quomodo illi, qui magnum studium pro sanitate aut conservanda aut acquirenda impendunt, cum tanta preciositate epularum

raro quod cupiunt adipiscuntur. Isti autem, qui rugientem stomachum vix pulsibus ac fabis solantur, ab ineunte juventute usque ad decrepitam senectutem sani communiter perseverant. Si aliud nihil sciremus, merito deberet nos a dampnabili gula cohibere. Videmus namque ad oculum, quod plures gula quam gladio moriuntur. Sit denique vestitus de lino crudo aut panno grosso, juxta morem patrie, apto ad labores quotidianos. Pro diebus autem festivis, qui habet, potest uti vestimentis aliquanto cultioribus, in quibus tamen omnis curiositas devitetur. Mos etiam laudabilis apud quosdam laudabiliter servabatur, ut nuptiarum tempore de talibus vestibus sibi providerent et pro diebus solemnis servarent usque ad finem vite, aut quam diu durare potuissent. Ceterum quia expedit etiam non nunquam rigorem laxare, ideo olim apud sanctos patriarchas et dei amicos sancta convivia et solatia<sup>43)</sup> frequentabantur, quasi in quoddam presagium future illius jocunditatis, quam in celestibus cum angelis habituri erant. Sic et honesti rustici cum familia sua aut cognatis sive vicinis facere possunt certis diebus secundum bonam consuetudinem patrie [Bl. F 7]. In quibus semper cavere debent occasiones peccatorum, horum maxime verba maledica, detractoria et inhonesta etc. Conventicula autem illa, qui fiunt in tabernis, ubi ebrietates et scurrilitates et cetera mala fiunt, omnibus deum timentibus cavenda sunt. Corisationes eciam, quamvis ex se peccatum non sint, si debito tempore et more fierent a personis laicalibus, tamen, quia alia via frequenter se immiscent, immo cautius vitantur. Illa autem solatia, que sine peccato fiunt debito tempore et more, non solum sunt licita, ymmo et meritoria, quia diligentibus deum omnia in bonum cooperatur. Studeant igitur venerabiles laici quicunque sic se ipsos et familiam suam in timore dei gubernare, ut periter cum ipsis post hanc vitam consequi mereantur gloriam sempiternam. Amen.

Undecimo debet quilibet fidelis et timoratus rusticus ad hoc niti, ut non solum a majoribus peccatis abstineat, sed etiam, ut caveat se ab omni occasione mali.

Hec est doctrina apostoli Pauli ad Thessalonicos V. Rationem hujus assignat sapiens Ecclesiastici XIX dicens: „Qui modica spernit, paulatim decidet.“ Ubi dicunt expositores, quod impossibile est, quod aliquis possit vitare mortalia, qui non fugit venialia. Et dant exemplum de David, qui idecirco in adulterium cecidit, eo quod oculos non custodivit. Quanta mala sibi ab hac levi occasione venerunt, quod incaute alterius uxorem respexit, horrendum est dicere, quando post adulterium simulatio, post simulationem homicidium sequebatur. Pena quoque tam gravis sibi inficta fuit, ut a domino audiret: „Non recedet gladius a domo tua usque in sempiternum.“ Omnia hec a levi scintilla ortum habuerunt. Et quis modo securus erit? Restat igitur, ut omnes timeamus et sollicite vias nostras scrutemur. Hic communiter solent quidam rustici dicere: Ach! Nos sumus rudes et simplices et sine literis nec possumus omnia sic ad punctum servare et similia. Quibus ego respondeo, quod diligenter advertant hanc objectionem suam et, si ita invenerint, quod impossibile sit eis talia scire et servare, tunc merito sunt excusandi, quia secundum summam beati Jeronimi: Maledictus est, qui dicit, quod deus precepit aliquid impossibile. Videamus ergo de doctrina hac. Dicimus alicui simplici laico: Noli respicere in faciem alicujus mulieris, ne capiaris in animo tuo, pro eo quod scriptum est: „Qui viderit mulierem ad concupiscentiam eam, jam mechatus est eam in corde suo.“ Item noli irasci fratri tuo sine causa. Item non concupiscas rem proximi tui. Item noli detrahere proximo tuo. Item noli in corde tuo suspicari malum de ipso, nec judices eum. Noli dicere falsum testimonium neque mentiaris neque criminieris, neque forniceris, neque fureris nec aliud aliquid facias proximo tuo, quod tibi fieri non velis. Hec sunt precepta dei. Jam responde, an intelligas, annon. Si dicis sic, ergo gratus esse debes et servare. Si dicis non, mentiris et maledictus es. Nam multo difficilius est dare causas, quod ista nescias, quam quod ea scias [Bl. F 8] Revera nec summis sophista hoc tibi persuadere posset, quod hoc et similia ignores. In anima tua hec plantata habes, et tu et paganus et Judeus. Nullus est excusatus. Si

tibi non vis fieri furtum, nec alteri facere debes. Et sic de singulis. Si dixeris: „Arduum preceptum est. Non valeo servare illud.“ Iterum mentiris. Omnia enim ista non laborem sed quietem requirunt. Ubi est nunc simplicitas tua? Tota die et nocte contra deum et proximum cogitas malum et dicis: „Simplex sum.“ O ut simplex es! Dicitur enim simplex quasi sine plica. Si igitur sine plica malicie es, tunc vere simplex es. Quam diu autem in te malum fuerit, non es simplex. Noli te ipsum decipere! Utet donis dei, ut intelligas voluntatem ejus, dum tempus habes! Ergo jam coactus responde! Si ista scis, videlicet quod malum est ita facere contra voluntatem dei, nonne etiam malum est, quod te non vis cavere ab occasione faciendi hoc? Si scis, quod malum est cadere in fluvium, nonne eque faciliter scire poteris, quod bonum et cautum est transire super ripam? Och, och! Nihil facimus, quando nos excusare in peccatis conamur. Simplices esse in malo debemus, ut illud non faciamus, sicut columbe, que neminem ledunt et prudentes in bono sicut serpentes, ut illud non amittamus. Verum non sic ista scribimus, quasi homines rusticanos artare velimus, quod omnes circumstancias humanorum actuum scire debeant, que etiam literatores effugiunt, quod utique est eis impossibile, sed ut in his, que naturaliter insita sunt, velamen impie excusationis non pretendant. Que autem difficiliora videntur, ad prelatos suos adducunt aut alios, qui talibus suffragari poterunt. Bone igitur voluntatis homini hec sufficient, cui spiritus dei presto est adjuvandum in his, que ad salutem spectant. Qui autem occasionem querunt recedendi a veritate, non mirum, si tenebris involvantur atque irato deo quod videre noluerunt, dum poterunt, postea, dum volunt, non possunt. Sunt preterea quidam, quibus non videtur peccatum quotidie jocari, ociosa loqui, officiosa aut ociosa mendacia fingere, alios plausibiliter deridere, carmina quoque minus honesta dictare vel cantare, crebro irasci, leviter jurare, cachinnis risibus et similibus vacare, ultra mensuram comedere aut bibere, ociari, tempus minus utiliter expendere, bona sua irrationaliter consumere et alia similia facere. Putantes, quia ista non faciant ex malo corde nec ex contemptu dei aut

proximi, quod propter ea non sint peccata, aut forte sint ita parva, quod de hujusmodi non sit curandum et per consequens emendare vel confiteri non proponunt. Audiatur, qui tales sunt, quid ipsa veritas in evangelio dicat quasi sub jure jurando: „Amen dico vobis, quod de omni verbo ocioso, quod loquuti fuerint homines, reddent rationem in die judicii. Ociosum autem est, quod caret ratione juste utilitatis aut necessitatis. Si ergo de hoc minimo ita districte [Bl. G 1] ratio requiretur, quid de majoribus? Ubi est diligenter advertendum omnibus laicis, qui simplicitatem suam pretendant, quod illa omnino cavere debent, que sine labore et industria fiunt, quia in talibus nullam excusationem allegare possunt, sed si quando talia committant ex humana infirmitate, quod humiliter recognoscant et se emendare cum auxilio dei proponant. Quis enim dicere audebit coram deo: Non potui tacere, non potui quiescere? Si ita simplex es, quod rationabiliter loqui nescis, tace et securus eris. Quis te ad loquendum cogit? Ita de aliis. Qui sine ratione de multis se intromittit, non mirum, si cadat. Timendum est etiam conjugatis, quod in actu matrimoniali multa peccata ipsi surripere possunt, si diligenter se non custodiant. Magnum enim sacramentum est et ideo, ut Augustinus dicit: „Nihil in lecto turpiter agere debes nec excedas ultra concessam licentiam in lege dei. Sit castus cum conjugi thorus et, si est cura propagandi liberos, non sit effrenata luxurias libidinum. Defer in lecto tuo coniugi tue honorem, quia membra Christi ambo estis, ambo ab illo conditi, ambo ab illo reparati. Item actus conjugalis tripliciter fit sine peccato, scilicet quando fit propter bonum prolis, aut causa reddendi debitum, aut propter vitandum adulterium. Hoc preintellecto quod fiat debito modo, hoc est honeste secundum debitum ritum nature simpliciter, et debito tempore. Nam natura vetat tempus ineptum sibi, scilicet menstrualis infirmitatis, quia tunc fetus, qui concipiuntur, contrahunt complexionem leprosam et alios morbos perpetuos et ob hoc tales olim in lege dominus interfici jussit, ut habetur Levitici XX capitulo, quia directe et voluntarie contra bonum prolis faciebant. Gratia similiter vetat tempus sacrum talibus expendi

actibus, quia diebus jejuniorum et festivis cessare debent et deo potius vacare. Et quamquam tunc non sine peccato exigitur, tamen qui cogitur ad reddendum debitum, aut nihil aut minus peccat, sed tempore menstruali nec exigi nec redi debet. Possunt quoque boni et honesti viri faciliter hoc tempus considerare, quia pene semper uniformiter per singulas lunaciones et facile pro tunc se a conjugibus elongare. Femine namque quasi naturaliter verecundantur, causam hujusmodi propalare, quamvis in hoc graviter peccent, si pretextu talis verecundie viris consentiant. Non enim, que naturaliter fiunt, ipsis imputanda sunt. A maledictione Eve ista venerunt. Et breviter, ut beatus Augustinus dicit: „Paucum tempus sufficit ad prolis conceptionem et post hoc omnimoda abstinentia usque ad partum ejus, melior utique est et sanior quam illud iterare, quod superfluum ac lascivum<sup>44)</sup> est.“ Porro in devotis libris legitur, quam graviter quidam conjugati, boni etiam ac sancti testimonii, apud inferos in igne purgatorii cruciantur pro excessibus predictis. Quare universis consulitur, quod caute se habeant in hiis, ubi facilius delinquitur et etiam ab omni alia occasione mali se elongent, quia unum peccatum est causa alterius [Bl. G 2] et ad aliud trahit sique sollicite cum deo ambulent, quatenus ei hic et in futuro placeant et eterna ab eo gaudia percipient.

Duodecimo debet quilibet fidelis et timoratus rusticus, ymmo quilibet christianus niti ad bonum nomēn et probam famam apud proximos suos.

Hoc est, quod sapiens docet Ecclesiastici VI, ubi dicit: „Curam habe de bono nomine, hoc enim magis tibi permanebit, quam mille thesauri magni et preciosi.“ Et Apostolus monet fideles, ut sine offensione sint cunctis hominibus, ut, quantum in ipsis est, testimonium bonum habeant etiam apud eos, qui foris sunt. Ubi est notandum, quod hec et similia facilia sunt ad dicendum, sed ad practicandum non ita, ymmo magna perfectio ad ista requiritur. Et ergo magni meriti est ad hoc tendere, quamvis pro libitu id, quod queritur, non poterit adipisci.

Sunt preterea in sacra scriptura quedam avisamenta, que disponunt hominem ad hoc, ut sit bone fame et secure vite, tam quo ad corpus quam quo ad animam.

Primo videlicet, quod caveat se a familiaritate magnatorum et principum, quia raro poterit simplex homo sic se habere, quin periculum incurrat propter difficultatem illis annexam. Unde et Sapiens dicit: „Pondus super se tollit, qui honestiori communicat.“

Secundo quod officia publica declinet, in quibus vix aliquis sic caute se custodire poterit, quin aliquando a justicia deviet, sicut Sapiens dicit: „Noli velle fieri judex et in loco magnatorum ne steteris.“ Hic omnino admonendi sunt rustici, ut a strepitibus judicialibus summe se custodiant, quia revera experientissimi et doctissimi viri ac in via dei probatissimi in talibus vix sibi providere poterint, quod sanam conscientiam et bonam famam reportent.

Tertio quod non velit se de omni injuria sibi illata vindicare ad unguem, sed magis propter bonum pacis dissimilare etiam cum damno aliquo temporali, quando hoc juxta bonam estimationem viderit faciendum. Hinc sapiens dicit: „In multis esto quasi nescius.“ Hoc est aureum verbum. Qui enim cum hominibus conversantur, cito offendit et offenditur saltem venialiter et ergo continua pacientia est in talibus necessaria. Nam qui jugiter criminacionibus et inculpationibus insistit et ad omnem flatum irascitur et cuncta secundum caput proprium disponere contendunt, cito efficitur odibilis. Per consequens bonum nomen, quod divitiis melius est, perdet.

Quarto in arduis negotiis consulte procedat et si quando per malivolos injuste diffamatus fuerit, quod de talibus legitime se purgare festinet, quantum poterit nec debet esse contentus de conscientia sua pro eo, quod ipse sibi bene conscient et securus est, quod talia non commiserit, qualia de eo dicuntur. Nam sicut dicit beatus Augustinus: Conscientia et fama due res sunt. Conscientia est nobis necessaria propter nos, fama propter proximos. Et immo contemnere propriam famam est mortale peccatum. Et negligere [Bl. G 3] est veniale vel mortale, secundum quod negligentia est major vel minor. Cujus ratio est, quia est

directe contra dilectionem proximi, quam edificare tenemur per conversationem bonam. Et in hujusmodi magnis infamiis abluendis debet simplex homo semper habere recursum ad aliquem virum disciplinatum pro consilio inquirendo, quia non est negocium puerile. Si autem post legitimam purgationem infamia talis fuerit continuata, non debet curare aut nimis dolere, sed cum beato Paulo per infamiam et bonam famam ad celorum regna discat pervenire. Jam enim non habet, quid ultra facere possit et ergo debet domino deo totum committere. Sic perfecti viri jubentur tolerare infamiam injuste illatam propter veritatem et tamen nullo modo debent dare occasionem, quod de ipsis mala fama juste valeat suspicari. Et hinc tangitur ratio difficultatis supra dicte, videlicet quod homo ex corde soli deo cupiat placere et omnem favorem et honorem humanum contemnat et tamen sic venerabiliter vivat honori, sicut et oblatum etiam honorem deo ascribat neque contumelias injuste illatas penset. Hec est ars artium et perfectio perfectionum. Et quamvis vix reperiatur aliquis etiam inter viros alte professionis, qui eam perfecte habeant, tamen multi simplices laici ipsam a domino mirabiliter obtinuerunt, ut in sancto Job, Thobia, Paulo, Scolastica Alexio,<sup>45)</sup> Francisco ac aliis innumeris aperte claruit. Et quia hodie non est manus domini abbreviata, ideo nemo desperare debet, sed jugiter ad meliora conari. Demum avisandi sunt boni laici, ut caute cum proximo suo ambulent, ne verecundiam amittant, quia ex hoc multa mala sequuntur. Quanto enim est conditio vilior, tanto est ad via proclivior. Ac proinde, si semel homo pauper et degener verecundiam amiserit, totaliter deinceps putrescit sicut pomum cute detractum nec aliquid scandalum incurrire formidat. Sed quamdiu integrum verecundiam habuerit, cohibetur et preservatur per eam a multis peccatis. De aliis occasionibus scandalorum superfluum est hic scribere. Scit quilibet sensatus laicus, quid sibi displicet in vicino suo, quod etiam debeat sibi displicere in seipso. Et quod placet sibi in illo, hoc etiam placeat sibi in seipso et ita faciat et optime proficiet. Doctrina sapientis est: „In teipso disce proximum et in proximo disce te ipsum.“ Estote igitur, venerabiles

rustici, secundum divina monita perfecti secundum modulum verum, quia dominus deus vester perfectus est et ab omni specie mali abstinet vos, quatenus tandem per hujus vite miserias eterne glorie mereamini recipere coronas. Amen.

Tertio decimo debet quilibet fidelis et timoratus rusticus se cavere a societate mala et consortio potentium et jurantium ac omnium, qui sine timore dei vivunt.

Hec est doctrina sapientissimi Salomonis in Proverbiis capitulo quarto, ubi sic dicit: „Ne delecteris in semitis impiorum [Bl. G 4] nec tibi placeat malorum via! Fuge ab ea, ne transeas per illam, declina et desere eam! Non enim dormiunt, nisi malefecerint et non rapitur somnus ab eis, nisi supplantaverint. Comedunt panem impietatis et vinum iniquitatis bibunt. Via impiorum tenebrosa, nesciunt, ubi corruant. Respicit dominus vias hominis et omnes gressus illius considerat. Iniquitates sue capiunt impium et funibus peccatorum suorum constringitur. Ipse morietur, quia non tabuit disciplinam et in multitudine stulticie sue decipietur.“ Hic est advertendum, quod homo nascitur cecus quoad intellectum et proclivis ad malum quoad affectum. Et ergo bona educatio est sibi summe necessaria. Sed neque hoc sufficit, nisi et jam bene educatus teneat se in societate bona, quia, sicut David propheta dicit: „Cum sancto sanctus eris et cum viro innocentе innocens eris et cum electo electus eris et cum perverso perverteris.“

Homo igitur, cum ad annos discretionis pervenerit, tres habet inimicos, qui eum post se trahere cupiunt, scilicet caro propria, mundus et hostis antiquus. Caro persuadet ocium, luxuriam, gulam, molliciem. Hanc si sequitur, bestialis efficitur, sicut equus et mulus, quibus non est intellectus. Mundus fallax persuadet avaritiam et gloriam temporalem. Hunc si sequitur, fit sollicitus supra modum, vanus et superbus. Hostis antiquus immittit invidiam, rancorem, maliciam, suspicionem, blasphemiam et desperacionem. Hunc si sequitur, maliciosus efficitur, animosus, crudelis et dyabolicus. In tanta pugnatione homo bene indiget adjutorio et ergo, si solus est, verisimiliter periclitabitur. Et si sic, quanto magis, si in medio

malorum constitutus fuerit. Sollicite ergo se convertat ad bonam societatem et tunc inveniet tres amicos fortiores, quam sint predicti tres hostes. Nam contra carnem inveniet rationem secundum deum regulatam, contra mundum angelos sanctos et viros sive feminas spirituales, contra dyabolum deum. Si hos audierit, victor erit et bene habebit. Si illos, tunc periter cum illis peribit in eternum.

Sed quia nulla ars sine magistro discitur, immo hec est communis summa sanctorum, quod homo bone voluntatis se applicare debet ad aliquem virum disciplinatum et doc-  
tum, qui eum instituat in omnibus et cui tamquam deo obediatur, a quo vivendi modum accipiat, cui etiam omnia cordis sui secreta revelet. Et si talem invenire nec ad manum habere semper potuerit, tunc debet cor suum ad dominum deum dirigere, ut ipsum a malis preservet et ad cuncta bona perducat sibi in dubiis certiorem viam demonstret. Quanta autem sit pigritia et defectus in hiis duabus, fleibile est dicere. Si enim aliqua cura prophana hominem simplicem urgeat, ut videlicet timeat amittere in judicio ovem, bovem, domum vel agrum, statim sine ulla dilatione currit alacriter ad juris peritos, qui eum juvent, ne [Bl. G 5] perdat, quod diligit et ita inveniet. Sed si cause anime sue stimulent eum, ne peccet, vix movere vult pedem, ut saltem tepide pergat pro consilio inquirendo, ne dominum deum offendat. Et si pergit, vix talem inveniet, qui secure ipsum juvare poterit, inter tot altitudines Sathanae, quibus totus mundus implicatus est. Sed fidelis deus, qui non patitur electos suos temptari supra id, quod possunt, sed faciet etiam cum temptatione proventum, ut sustinere possint, tam intellectum illuminabit, quam juvabit affectum, si tamen homo faciat, quod in se est, querendo videlicet bono modo consilium et auxilium a superioribus suis humiliter. Quod si non invenerit aut invenire potuerit, tunc in simplicitate cordis sui dicat domino deo hec aut similia verba: Deus eterne, qui absconditorum es cognitor! Tu scis cor meum. Libenter facerem, quod tibi esset magis gratum, si illud scirem. Sed quia illiteratus sum et me juvare non valeo, idcirco ad piissimam misericordiam tuam

preces meas porrigo, supplicans humilime, ut me in hiis perplexitatibus, quibus nunc coartor, juvare digneris, quatenus te non offendam, sed quid expedit anime mee nunc jugiter peragere valeam etc. Qui sic procedit, a domino dirigetur. Qui autem non curat custodire conscientiam suam, sed cum vanis hominibus vires et tempus expendit, non mirum, si nesciat, quid sit voluntas dei bene placens et perfecta, quare etiam facile a dyabolo precipitatur de uno peccato in aliud. Absque dubio magnum est premium celestis regni, quod dilectis dabitur et ergo etiam dignum et justum est, quod cum magna diligentia et industria pro illo laborent. Si quidem beato Gregorio teste ad magna premia non pervenitur nisi per magnos labores. Sed quantumcunque laboremus sive patiamur pro illa gloria superna, nequaquam est condigna compensatio hujus meriti ad illud premium, sicut beatus Paulus apostolus dicit, quia finiti ad infinitum nulla est cooperatio. Quare semper humiliter sentire debemus nobis et in veritate ita recognoscere, quod omnes justicie nostre sunt velud pannus menstruate in conspectu illius candoris divine majestatis. Qui autem ab hac humili recognitione recedit, putans se aliquid esse, cum nil sit, seipsum se ducit et deo non placet nec dignus est, ut gratia dei illum salvet. Humiliamini igitur, o vos venerabiles laici universi, qui timetis deum, ut exaltemini fortiter! A societate carnalium hominum vos abstинete, ut inter angelos numeremini! Strenue ab omni ebrietate vos temperamini, ut a spiritu sancto impleamini! Ab inutili et perniciosa consuetudine jurandi os vestrum cohibete, ne divina ultio vestras domos dissipet, sed magis pura oratione et gratiarum actione cum omnibus bonis ditemini! Sicque tota vita vestra in omni virtute fulgeat, [Bl. G 6] ut, quicunque vestram sanctam conversationem viderit, in bono edificetur ac dominum periter vobiscum benedicat. Cui laus est et perennis gloria per omnia secula seculorum. Amen.

Quarto decimo debet quilibet fidelis et timoratus rusticus sedule discutere conscientiam suam et crebro confiteri.

Hic timeo verisimiliter, quod moderni laici nimis sint negligentes et valde deficiunt a probitate laicorum antiquorum, semper illam excusationem iniquam pretendentes, quod aut sint ita simplices, quod hoc non sciant, aut aliis sic prepediti, quod hujusmodi vacare tempus non habeant. O qualis est ista excusatio! Industrii sunt ad peccandum et simplices ad confitendum. Tempus habent ad opera iniqua perpetranda et tempus non habent ad male acta emendenda. Sciunt discernere usque ad minimam avene mensuram, quam habent in domo sua et non sciunt, quid habent in conscientia sua. Et utique illud, quod sciunt, foris est et istud, quod se nescire dicunt, intus est. O nihil stultius est, quam ut quis decipiatur seipsum. Si nescis, disce. Vide, an unquam diligentiam adhibuisti ad hoc, ut scias voluntatem domini dei tui. Certe hoc pro verissimo tenere debes, quod ad hoc creatus es. Si autem hoc ignoras, ignoraberis. Postposita igitur excusatione calva ista, que communiter laicis est valde familiaris, disce, quomodo conscientiam tuam discutere debes. De mane, quando surgis, statim assuesce gratias agere deo tuo, quod in te hanc horam usque perduxit. Deinde recogita, si aliud peccatum in nocte commisisti et pete de hoc veniam et nota illud cum proposito confitendi, maxime si mortale fuerit. Ora etiam ad dominum, ut de futuro securus fias dicens: Dignare, domine, die isto sine peccato nos custodire. Similiter de agendis, ut angelus sanctus dirigat te ubique. In prandio et cena similiter gratias age domino de beneficiis suis et in simplicitate cordis sume necessaria vite, que deus largitus est tibi. In conversatione tua per diem, si solus fueris, coge cor tuum ad cogitandum aliquid boni et si aliquid mali irrepserit, pelle a te, ut melius poteris. Si cum hominibus, noli aliquid alteri facere vel dicere, quod tibi non vis fieri. Ecce quam brevis vivendi norma! Esto fidelis in opere tuo, veridicus in sermone, patiens in iniuriis et statim eris homo sincere et bone vite. De sero, antequam lectum introeas, recogita, an sic vixisti et si nihil te commisisse mali inveneris, gratias age deo. Sin autem, signa diligenter cum proposito emendandi et confitendi! Ora deinde deum, ut noctem illam tu et familia

tua transeas absque macula peccati. Eya quis homo audet dicere in veritate: Hoc nescio. Sic vivere est mihi impossibile, cum gratia dei omnibus sit parata. Vere, vere perversorum vita subtilis est et difficilis valde. Illam sequi est laboriosum, scandalosum et dolorosum et periculosum supra modum, si bene advertat homo. [Bl. G 7] Sed vita bona simplex est et facilis, honorabilis et secura, hoc presupposito, quod, si homo simplex et bone voluntatis vellet stare contentus in vocacione sua et se non intromittere de hiis, que sunt aliena a statu suo nec ambulare in mirabilibus super se. Quia si aliquid tunc sibi molestum sive injuriosum accideret, quando sic simpliciter et bene ambularet in via domini, nihil de hoc dolere deberet, sed gratias agere, quia per hoc ad majorem gratiam et gloriam perveniret. De ulteriori discussione conscientie non opus est plura dicere, cum nil aliud sit hoc quam seipsum examinare, an recte ambulaverit in via domini, an non. Applicet igitur vitam suam ad statum proprium et tunc conscientia testimonium sibi perhibebit bene de hiis. Quia autem sit utilis ista discussio, docet Apostolus I ad Corinthios XI dicens, quia, si nosipsos dijudicaremus, non utique dijudicaremur. Cum autem judicamur a domino, corripimur, ne cum hoc mundo damnamur. Igitur qui flagella horrenda divine ire hic et in futuro vult a se et domo sua removere, studeat nunc, dum tempus habet, conscientiam propriam examinare et que male gessit humiliter deflere et que bene fecit in deum gratitudinem refundere. An non facilius est dicere pio corde: Deus, tu propicius esto mihi peccatori! Recognosco peccatum meum hoc et illud gravissimas egritudines sustinere, aut damna sive scandala, aut certe acerbissimum purgatorii ignem? Ecce modo de electis loquimur, a quibus nunc judicium incipit eo quod nec minimum malum etiam quod ad ipsos manebit impunitum. Et si sic, quis finis eorum, qui non credunt evangelio dei neque servant mandata ejus? Horrendum est incidere in manus dei viventis. Preveniamus ergo faciem ejus confessione, non tantum semel aut bis in anno, sed per singulos dies, effundendo videlicet cor nostrum tanquam aquam in conspectu domini dei nostri. Et quando copiam presbiteri

habere possumus, etiam sacramentalem absolutionem expectamus.

Traditur quidam modus valde securus a sanctis patribus, quo ad illos, qui in mortalia peccata ceciderint, quod scilicet, quando ibi non bene consci sunt, an perfectam confessionem fecerint, quod semel ad minus recolligant totam vitam suam in amaritudine anime sue et tunc post plenam hujusmodi premeditationem confessorem eligant ydoneum, cui totaliter confiteantur, quecunque commiserunt, morose et funditus et corde sincero, donec conscientia scrupulis omnibus, maxime mortalibus exuatur et ad quietam et serenam pacem perveniat. Qua habita deinceps bone voluntatis homo diligenter se custodiat, tanquam post pericula factus prudentior. Et ne iterum multitudine obruatur, sepius de quotidianis confiteatur. Confessor ydoneus est proprius et immediatus pastor doctus et literatus, sciens discernere inter mortale et veniale, aut aliquis de ejus commissione aut licentia deputatus. Si igitur proprius pastor fuerit impeditus, potest subditus [Bl. G 8] ab eo licentiam petere et alium quemlibet accipere. De illo quoque generali recollectione, si memoria non sufficerit pro una vice, potest per alias septimanas aut menses vel annos, si opus est, confessionem iterare totiens quotiens peccata non confessa ad memoriam venerint, dicens hec aut similia verba: Pater, quando confessionem generalem feci, tunc aliqua oblitus fui aut pro tunc ad memoriam non venerit. Et exprimere ea, sicut oportet. Quia si scribere novit, potest omnia simul ad cartam notare pro juvanda memoria et coram sacerdote tractatim recitare et compuncte, ut videlicet de singulis confessor possit deliberare. Hoc enim utile est nec valet quorundam imperitorum duritia, qui hoc reprehendunt, quasi non ex carta sed ex corde fieri debeat confessio, cum et omnia ecclesiastica officia simul et ex corde et libris fiant. Unum enim alterum juvare debet. Quod autem dicitur non per breve, intelligendum est, quod confitens non debet confessori literam porrigerere, ut ipse legat, aut destinare sibi more aliarum missivarum, sed ore proprio pronunciare debet. Si etiam videtur alicui impossibile, quod antiqua peccata revocare

ad memoriam possit, talis debet hunc modum advertere: videlicet quod recognoscit annos et locum et societatem, cum qua vixit et officium, quod exercuit et alia juvamina memorie et invocare gratiam sancti spiritus, faciendo melius quod possit, pro recordatione preteritorum. Et tunc pro certo penitus credere debet, quod aut spiritus sanctus obliterat ad memoriam sibi reduceret, aut dimitte absque dubio, que taliter evanuerint a memoria. Bonus enim dominus est hiis, qui querunt eum et humiles spiritu salvabit. Studeamus igitur uti misericordia ejus, dum tempus est, ne, quod absit, si tantam neglexerimus salutem, cogamur, velim us nolimus sentire justam vindictam. Ceterum de jure communi non tenetur laycus nisi semel in anno confiteri, videlicet tempore quadragesimali ante solemnitatem paschalem, quando etiam tenetur de necessitate communicare. In casibus autem tenetur pluries confiteri, videlicet si super annum velit communicare, aut si fuerit in periculo mortis, aut si conscientia sibi dictat confitendum aliud mortale, de quo sibi conscientius est et copiam confessoris habuerit. Tunc non debet laborare ad deponendum scrupulum illum, quia ad melius tendit et ex satis probabili opinione procedit. Item si occurrit sibi confessor cum verisimili conjectura, quod ejus copiam illo anno non poterit habere, sicut sepe contingit de penitentiariis domini pape vel episcopi, tunc statim tenetur se preparare ad confitendum, si casus tales habuerit. Idem est sciendum de proprio pastore, quando timeret similiter, quod debito tempore illius anni non possit eum habere. Nam nunc tenetur prevenire extremum articulum anni. Alioquin ex parte sui esset culpa, quod mandatum ecclesie non esset servatum. Sed hec et similia hominibus bone voluntatis non est necesse proponere. Ipsi enim prompti sunt et sollicite [Bl. H 1] expuere venenum, quod cito sentiunt. Qui autem in extremis periculis tantum remedium querunt, raro convalescent. Securam igitur viam studeant boni laici tenere et se ipsos caute prevenire, ne callide preveniantur sicque munde abluere per singulos dies, quacunque hora dominus venerit paratos eos inveniat et ad celesta regna perducat eodem cooperante, cui laus est in secula. Amen.

Quinto decimo debet quilibet fidelis et timoratus laicus, sive rusticus fuerit sive alterius officii, ymmo quilibet christianus sepius meditari de preceptis dei et observacione eorum et ut in recta fide ambulet.

Hoc est doctrina Moysi in multis locis et precipue in Deuteronomio. Similiter et aliorum sanctorum olim. Ratio hujus est, quia post legem datam et informationem acceptam solent temptationes insurgere et ergo oportet avisare fideles specialiter de constantia et prudentia et hoc non semel neque bis, sed pene per singulos dies et precipue illiteratos. Mirum enim post evangelicam tubam solet bellum consurgere. Nam homo peccatis detenus quasi non sentit temptationes, sed quam cito vitam corrigit, tunc etiam de illis crebro temptatur, que naturaliter antea exhorruit. Undique igitur oportet vigilare, quam diu vivimus, quia nulla est in ista peregrinatione securitas, sed bellum continuum. Bona est ergo similitudo ista, si trahamus eam ad nos, ut more civium, qui quotidie ab hostibus impetuntur, nostram civitatem id est nostram conversationem custodiamus. De hoc jam multa dicta sunt, sed hic annexandum est, quod aliquando homo bone vite sentit magnam alacritatem et facultatem in via dei, aliquando magnam difficultatem et tedium. Et utrumque sibi in bonum veniet, si constans et prudens permanserit. Temptat igitur dyabolus homines bone vite per hec duo jugiter, scilicet ut vel ipsum per errorem seducat, vel per tedium vincat. Sed ut non seducatur, oportet eum esse prudentem et ut non vincatur, oportet eum esse constantem. Solus enim ille salvus erit, qui perseveraverit usque in finem. Supponamus igitur primum videlicet, quod constans et fervidus permanserit homo in via dei et videamus nunc, quibus dolis conetur eum decipere, ut labores ejus inanes faciat. Ubi est advertendum diligenter, quod summo studio laborat inimicus, quod fidem integrum a corde auferat, maxime quoad rudes et simplices homines, quia tunc scit totum fundamentum bone vite collabitur. Facit autem hoc sub specie boni, quia alias non crederent sibi. Hinc est, quod seminat diversas hereses immittit quandoque abhorrendas blasphemias contra deum

et sanctos suos, quasi non sint justi aut pii sive misericordes, aut quod posset melius mundus regi et similia. Et in hiis non profecerit. Tunc suadet sortilegia et auguria et incantationes et alia, que sunt contra rectam fidem. Per que, proch dolor, pene totum genus rusticum ac alios quosdam laicos non modice usque hodie irretivit [Bl. H 2] et post se trahit. Unde et ob hoc aliqua sunt avisamenta hic ponenda tanquam maxime necessaria pro illorum extirpacione. Sciendum ergo primo, quod primum mandatum dei est: „Non habebis deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile. Non adorabis eos neque coles.“ Ubi dicunt sancti doctores, quod dominus deus omnia ex nihilo creavit et in esse produxit et in esse conservat et ergo justum est et rationabile, quod creatura hoc recognoscat et suo creatori obediat, ipsum diligit et secundum voluntatem ipsius vivat. Sed hoc dyabolus facere contempsit et ob hoc ad infinitam miseriam et eternam damnationem corruit et totus perversus factus est. Quare etiam homini invidit, quod ad tantam gloriam perveniret, ut par angelis efficeretur, a qua ipse tam turpiter corruerat. Et quia per infelicem experientiam ipse novit, quod, quam cito creatura inobediens deo facta fuerit, statim exosam ipsam haberet et a se projiceret, ideo suasit homini, quod non curaret de mandatis ejus, ut hac occasione odium dei sibi procuraret. Quod et proch dolor factum fuit. Nam statim ut Adam et Eva preceptum fregerunt, divinam indignationem incurserunt et de paradiſo in hanc mortalitatem projecti fuerunt. Demum ad tantam vesaniam pene totum humanum genus pervenit, ut postposito uno vero deo nephandoſ demones pro diis colerent et ab ipsis salutem et auxilium atque consilium sperarent. Stetitque in hac miserabili cecitate mundus ultra duo milia annorum, ita quod vix paucissimi salvarentur. Sed pius dominus misertus super tantis malis cursum hominibus per Moysem precepta dedit, quorum illud primum fuit, quod jam dictum est, ut videlicet, quod homines se averterent a demonibus et ad suum creatorem redirent. Sed hoc parum juvit. Tandem misit unigenitum suum in carnem et illum et apostolos in orbem terrarum, ut cultum veri dei instituerent et ydolatriam

destruerent. Quod vix tandem cum maxima difficultate factum fuit. Verum quantumcunque postea sancti patres laboraverunt, non potuerunt omnes reliquias abhominande superstitionis a populo cristiano extirpare, usque in presens tempus. Ecce jam habemus solidum fundamentum, per quod faciliter dejici potest totum sacrilege superstitionis figmentum! Sed utinam miseri crederent et adverterent, ne tam infeliciter perierunt. Fundamentum igitur hoc est, quod homo debet creatori suo obedire et ipsum diligere et omne bonum ab eo sperare et eum colere. Item quod non debet abjicere sive pervertere ordinationem divine sapientie in rebus ab eo creatis, sed unaquaque re uti, sicut ipse instituit. Item quod non debet habere aliquod pactum expressum vel occultum cum demonibus neque ab eo auxilium vel consilium querere. [Bl. H 3] Item quod debet firmiter credere, que mater sancta ecclesia credit et respuere, que prohibet et humiliter in omnibus obedire regulis sacre fidei et determinationi ejus. Jam ad particulares casus superstitionum esse descendum, ut simplices et bone voluntatis homines avisaremus, sed tot sunt, ut nesciam, quo incipere debeam.

Premitto primum, quod diverse sunt cause, que hujusmodi trufas<sup>46)</sup> pepererunt. Nam aliquando ex sola levitate credendi procedunt, ut in vetulis, puellis et pueris et rudibus hominibus. Aliquando ex joco et ex confictione ad fallendum et irridendum alios, ut in scolaribus et aliis parasitis. Aliquando ex vano timore, ut in hiis, qui nimis timent sibi aut suis, ne damna incurvant. Aliquando ex cupiditate et pigricia, ut in illis, qui furantur aliena, ne ipsi laborare cogantur pro victu quotidiano. Aliquando ex superbia, ut in illis, qui alios in potestate aut divitiis sive scientia precedere concupiscunt. Aliquando ex invidentia, ut in illis, qui non favent aliis prospera. Aliquando ex impatientia, ut in illis, qui paupertatem aut infirmitatem vel injuriam sustinere non possunt aut nolunt. Aliquando ex ardore luxurie sive carnalis amoris, ut in philocaptis.<sup>47)</sup> Omnibus istis incitamentis agitatur cor humanum et variis mediis querit adipisci, quod male gescit. Possunt autem omnia ista per auxilium demonum,

qui hec suadent, etiam ad effectum perduci occultis modis, si deus permittet. Hoc quoque ex pluribus locis sacre scripture posset ostendi, sed solus Job sufficit, cuius corpus et substantiam ac proles demon abstulit. Non ergo mirum, si et aliis simile contingat. Et hic solvitur error quorundam simplicium, qui nolunt credere, quod aliquid possit superstitiose fieri, sed putant totum mendacium esse, quicquid de illis dicitur. Et quamquam istud videatur de pietate procedere, tamen non valet, quare est magis ex duritia quam fide. Sed sunt informandi videlicet, quod non debent credere, quod fit licitum taliter operari. Que enim aperte ad oculum fiunt, non debemus inficiari, sed caute advertere, quomodo fiant et quare fiant. Et iterum solvitur ex isto, quare communis populus aliquando durior fit, quando per ydeotas informantur minus plene, videlicet quando dicitur ei, quod non debet fidem adhibere hujusmodi trufis, quia est impossibile, quod fiant. Nam statim populus respondet: Nos aperte videmus, quod hoc et illud sic et sic fit. Non debemus hoc credere. Ecce duo directa opposita! Primum omnino nihil vult credere, secundum vult nimis libenter credere. Sed medium est tenendum, scilicet quod possibile est operationes supersticiosas fieri, occulta vel aperta, demonum co-operatione. Sed est grande peccatum et directe contra mandata dei, et quod non est possibile ipsas fieri per illas observantias, quas ipsi malefici solent applicare. Exempli gratia: [Bl. H 4] Credendum est, quod permittente deo maleficus potest per auxilium demonis occidere vaccam vicini sui. Sed non est credendum, quod illa incantatio sive maledictio, quam ipse profert, vaccam occidat. Sed demon aperte vel occulte hoc facit, ut ad peccatum malitie et infidelitatis homines trahat. Nec est curandum, an aperte hoc, vel occulte hoc facit, ut ad pactum malitie et infidelitatis homines trahat. Nec est curandum, an aperte coram populo hoc fiat an invisibiliter. Nam utrobique fides periclitatur simplicium. Si enim malefico faciente aperte conjurations demon visibiliter appareat et sibi obediatur, putant debiles in fide, quod illa ars nigromancie efficax sit et super demones potestatem habeat. Sed non est ita. Quinimmo demones fingunt se compelli,

ut animas decipient, ne quicquam curarent de tali conjuracione, eo quod non fiat per aliquam potestatem superiorem, sed tantum modo per iniquam eorum persuasionem et humanam curiositatem, stulticiam aut maliciam. Si vero effectus supersticiosi occulte fiant, tunc eque ymmo amplius fides populi periclitatur, quia putant illud esse divinum, quod est dyabolicum. Et juxta sententiam beati Augustini: Pejor est draco sibilans quam leo rugiens. Hoc est, quod plus debet homo cristianus timere occultas insidias dyaboli quam apertas, quia illas potest cavere, has autem vix advertere. Dicamus ergo secundum scripturam et sacros canones, quod omnis observatio, cuius effectus expectatur aliter quam per rationem naturalem aut per divinum miraculum, debet rationabiliter reprobari et de pacto demonum expresso vel occulto vehementer haberi suspecta, quantumcunque etiam sancta et salubris videatur. Dicamus etiam secure, quod nulla verba hodie in ecclesia dei sunt divinitus instituta ad determinatos effectus producendos, non tamen sacramentalia secundum ritum suum, scilicet a debito ministro super debitam materiam cum intentione faciendi, quod ecclesia facit et non aliter. Dicamus quoque nullas ceremonias aut caracteres<sup>48)</sup> sive signa laicis divinitus traditas esse, aut ab ecclesia institutas pro aliquibus determinatis effectibus producendis. Ut autem simplices intelligent, quid sit ex aliqua causa naturali sive miraculosa determinatum effectum producere, hoc sic est accipiendum, quod aliquo verbo dicto vel signo aut caractere protracto aliquid necessario sequeatur, quod ille intendit, qui hoc dicit vel facit. Sicut in naturalibus videmus: Quicunque fundit aquam super ignem, sequitur necessario, quod ignem extinguat. Ex quo sequitur, quod aspersio aque benedictae et consignatio crucis et similia non habent determinatos effectus ex necessitate repellendi omne periculum spirituale et corporale, sed habent congruentiam ad hoc. Ita de aliis ceremoniis universis. Si enim persignationem crucis aut orationem dominicam aut aliam quamlibet sacram operationem in ecclesia consuetam, statim omne malum propelleretur necessario, tunc fides et spes quoad multa evanuerentur, neque stantibus rebus ut nunc, creator haberet plenum dominium super creaturas a

se factas. Patet aperte. Quia si haberet homo talia admiracula, tunc non esset in potestate dei aut alicujus alterius creature, quod homo posset temptari, puniri sive mori etc. Statim enim signaret se [Bl. H 5] aut orationem funderet, cum sibi aliquid contrarium accideret et continuo liberaretur necessario, cuius contrarium quotidie videmus. Sunt ergo omnes orationes et ceremonie ecclesiastice sancte et bone et pro bonis adipiscendis et malis propulsandis frequentande, sed effectus determinatos non habent, sicut sacramenta, quamvis non minus debemus confidere in spe et pia fide de eorum effectu salubri, si et in quantum deo placeat et nobis utiles sint ad salutem. Ecce notabilem cautelam, ex qua reprobatur quorundam imperitorum presbiterorum sive aliorum quorumcunque stulta dogmatisatio, volentium fideles inducere, ut hec aut illa credant et tunc necessario ipsum ad votum ita succedet, sicut credunt, aliter non. Nimis enim extendunt illud dictum salvatoris: „Omnia possibilia sunt credenti.“ „Fiat tibi secundum fidem tuam“ cum similibus. Talia enim non sunt referenda indifferenter ad omnia, que homo cupit, sed ad illa, que spectant ad salutem anime. Aliter enim est dicere injuriam ipsi salvatori, quasi occasionem dedisset per hujusmodi verba alicui contra salutem anime sue. Timendum siquidem est, quod per hec verba male intellecta plures sint supersticiones introduce et quasi divine auctentica essent. Debet ergo sic populus informari, quod firmiter in deum credant et in omnibus periculis et necessitatibus confidenter sub ala protectionis sue confugiant, tunc tali promptitudine animi ac fiducia, quod omnia patienter et gratanter tam beato Job, de manu domini velint recipere,<sup>49)</sup> sive prospera sive adversa, neque aliter de ipso optimo creatore sentire quam de piissimo patre, qui aliquando consolatur filios, aliquando castigat, prout sibi placet et ipsis filiis prodesse novit. Qui sic credit et sic cum deo ambulat, illi omnia sunt possibilia, non quidem ut ipse mirabilia faciat, sed ut a deo imperet merito fidei sue. Sunt preterea quidam homines modice intelligentie ultra alios forte, qui audacter dicunt: Nos pro certo scimus, quod, quicquid fit per Pater noster et Ave Maria et Evangelia et

Credo et Psalms et alia sancta verba, hoc est licitum. Et quia duri sunt, a dyabolo possidentur ad ipsius voluntatem. Quod sit hoc frivolum, per eorum responsionem statim patebit, si ab eis queratur, an possit abusus fieri sacrorum verborum. Puto enim, quod respondebunt, quod sic, si aliquo modo memores sint, quod dyabolus Christum temptavit per sacra verba. Similiter et heretici sine intermissione sancta scriptura abutuntur. Et in psalmis dicitur: „Peccatori autem dixit deus: Quare tu enarras justitias meas etc.“ Dicant modo, si audeant: quicquid fit per sacra verba, licitum est. Certe non audebunt, si aliquem sensum habent. Sed tamen veraciter loquendo nihil horum per sacra verba fit, que ipsi putant taliter fieri, sicut jam dictum est. Neque ad hoc sunt instituta divinitus et ideo impossibile est, quod propter dei ordinationem tales effectus habeant, sed, ut dyabolus simplices decipiat, sacra verba suis trufis applicat.

Fuit ante paucos annos famosa quedam vetula tota-liter auguriis occupata, que hoc modo cuiusdam principis pedem recenter gladio perforatum sanavit. [Bl. H 6] Nam statim, ut vulnus vidiit, inclinavit se et hec verba protulit: In nomine patris et filii et spiritus sancti Amen. Stetitque sanguis et illico vulnus curatum fuit. At ille letus exclamans dixit: Si aliud nihil vellet dicere, semper deberet me curare. Postea idem casus Colonie examinatus fuit et supersticiosus judicatur eo, quod nulla ibi signa alicujus miraculi fuerint. Non tamen modo abusus sacrorum verborum. Pari modo faciunt nonnullae auguritrices et etiam quidam viri effeminati pronunciantes sacra verba super febricitantes, aut aliter infirmos, similiter et super bestias, pro ipsorum convalescentia. Item contra vermes, qui fruges in agris aut olera in ortis aut fructus in arboribus corrodunt. Item contra lupos benedicunt vacas et oves, equos et asinos, universa pecora campi, quasi securius sit ea demonibus tradere quam pastoribus commendare aut melius animam damnare quam bestiam amittere. Et est infinita stulticia animarum errantium in hiis et aliis, que enumerare aut tediosum est, aut vix possibile. Verum latet hic laqueus inimici valde occultus, videlicet quod ista

immo sint tolerabilia, quia ad utilem finem tendunt. Sed teste Samuele magis vult deus, ut obediatur voci sue quam oblaciones arietum et hircorum pinguium. Hoc est dicere, quod deus voluntarie permittit aut praecipit quandoque aliqua, que secundum communem usum sunt damnosa, ut appareat obedientia sive inobedientia hominum. Et quia omnia largitur, et potens est multo majora retribuere, immo justum est, ut homo per omnia se illi subjiciat, tam quo ad corpus quam ad animam, quam etiam ad exteriorem substanciam. Hinc est, quod Augustinus dicit, non nullos esse martyres in propriis literis suis, qui potius volunt egrotare et mori quam deum offendere admittendo sortilegos pro cura sua. Ita et de aliis similiter est dicendum suo modo, qui potius parati sunt damna et penuriam perpeti quam contra mandata dei facere. Proinde sunt et alie plures superstitiones maligne, quarum effectus tendunt ad malum finem etiam sub capitalibus penis in lege prohibitum, scilicet ad furta, homicidia, destructionem bladiorum, vinearum et hujusmodi. Sed ista communiter non diu manent sine justa vindicta. Ubi tamen est diligentissime advertendum, quod antiquus hostis aliquando in uno tali opere duas animas lucratur, unam videlicet per hoc, quod ei suadet alteri nocumentum inferre, aliam per hoc, quod suadet ei supersticiosum remedium apponere. Sic aliquando contigit rusticis, ut, quando percipiunt sibi lac auferri per maleficia, quod tunc ponunt ad loca quedam particulas quasdam herbarum vel aliquomodo conantur impedire predictum effectum per verba ignota aut maledictiones etc. Sed unum est ita superstiosum sicut reliquum. Si autem vellent efficaciter a talibus trufis liberari, deberent humano et ecclesiastico more procedere. Primo videlicet diligenter inquirendo a vicinis, an esset aliquis suspectus de tali nequitia etc. Deinde, si magnitudo periculi id exposcit, debent facere sicut consuetum est in ecclesia dei, que ordinat contra talia [Bl. H 7] malifitia preces, jejunia, missas, imploraciones sanctorum, elemosinas ac alia pia opera divine ire placatoria. Qui autem male credulus per maleficium vult liberare se, non est dignus, ut a domino deo et sanctis angelis adjuvetur. Et ergo non est

mirum, quod a spiritibus nequam graviter affligatur. Et hec sunt simplicibus valde pensanda. Rursus est adhuc alia supersticio de observantia dierum, videlicet quod sint aliqui dies infausti neque tunc aliquod opus inchoari debeat, aut vestis nova indui, aut iter arripi etc., que omnia sunt frivola et a vanis astrologis et paganis contra dei ordinationem introducta. Advertant fideles diligenter, quod omnes dies deus creavit et sunt valde boni et quod omnium bonorum operum deus est director et sancti angeli cooperatores. Ergo utique non est timoratis hominibus de hac stultitia metuendum. Similiter de aliis sine numero: de occursu leporum vel cattorum, volatu avium aut garritu. De casuali aliquo eventu vel opere, puta si calceum sinistrum aut cirotecam<sup>50)</sup> primum induat vel verbum aliquod audiat, quod fortunam bonam vel omen significet. Cum similibus pestiferis imaginacionibus est firmiter tenendum secundum rectam rationem et catholicam fidem, quod in veritate nihil habent penitus efficacie, sed sunt deliramenta infelicium hominum, qui sepe deo permittente propter suam malam crudelitatem merentur affligi et terreri a quolibet folio volante. O si homo memor esset sue dignissime conditionis et cogitaret se ad ymaginem dei factum et quotidie sanctissimis angelis vallatum, tunc erubesceret potius quam metueret ab hujusmodi stultiis vanissimis. Est etiam bene subjungendum, quod bonis hominibus et fortibus et doctis in fide contingunt aliquando hujusmodi diffortunia cum prestigiis prefatis, divina ordinatione, ut eorum fides nota fiat aliis et sit exemplum toti ecclesie. Et cum totus populus videt, quod non curant talia figura neque observant se ab eis, tunc edificatur ad fidem. Scio quendam presbiterum timorate et bone vite, qui cum audisset, quod signum infaustum esset, si calceum sinistrum de mane primum indueret et de hoc sibi temptatio molesta esset, ut videlicet hoc caveret, ipse contra directe semper sinistrum calceum primo induit et sic fantasia cessavit. Et hoc est bonum remedium in similibus. De illa etiam superstitione, que communiter fit a quibusdam mulierculis infatuatis et duris in conceptibus<sup>51)</sup> suis videlicet in abstinentia a quibusdam laboribus et

cibus contra communem christiani populi consuetudinem, puta qui non volunt nere feriis quintis post vesperas, eo quod tunc salvator inchoavit passionem suam et ad crucem ivit, aut in die pasche nolunt carnibus vesci, quasi hoc deo sit gratius eo, quod tunc communiter populus ferum ad esum carnium, aut certis diebus cessare volunt ab operibus, qui non sunt festivi et similibus aliis singularitatibus. Ab omnibus talibus superfluis fantasiis debent venerabiles [Bl. H 8] matrone abstinere et humiliter seposita omni singularitate conformare se ritui communi sancte ecclesie et laudabili consuetudini illorum, quibus convivunt. Si autem aliquis ex indocta et simplici devotione aliquid de hujusmodi voverunt, debent hoc humiliter confiteri et absolutionem petere cum promptitude tali, quod velint libenter obedere suis superioribus pro commutacione in melius. Dicit enim sacra scriptura, quod displicet deo infidelis et stulta promissio. Ad istud potest referri, quod incautum est, quod quedam mulieres inducunt viros suos, ut voveant abstinentiam coitus certis diebus, ut tali pacto mitius habeant in puerperio. Scio, quod loquor, qualia pericula inde pervenerint. Melius est ergo, ut dimittant sacramentum in sua libertate neque invicem se defraudent, nisi forte ad tempus ex consensu, ut vacent orationi absque omni voto previo, maxime perpetuo. Sint perinde bone femine memores quotidiane miserie, quam ab Eva susceperunt pro eo, quod voluit nimis sapiens esse et diligenter caveant, ne velint imitari singularitatem capitis sui. Non ponant os in celum,<sup>52)</sup> quasi sufficientes sint sibi ipsis leges dare, sed magis in subjectione et silentio discant secundum Apostoli monita et tunc bene secure erunt. De ulteriori processu hujus materie brevitatis gratia supersedeo, simul sperans, quod hec hominibus bone voluntatis sufficient, si hec duo, que supradicta sunt, diligenter advertant, videlicet quod, quicquid in mundo fit per rationem naturalem aut per divinum miraculum non est superstiosum. Quicquid aliter fit, quantumcunque sanctum appareat, suspectum debet judicari. Est etiam bona cautela, si quando hujusmodi augures se offerant ad docendum vel faciendum mirabilia, quod statim queratur ab eis, an sint parati venire in publi-

cum et coram dictis viris suam scientiam vel artem proponere, ut exementur, ne forte ipsi errent et per consequens alios errare faciant. Ita fit in aliis artibus etiam mechanicis. Quod si voluerint, tunc responderi debet eis illud Salvatoris: „Omnis, qui male<sup>53)</sup> agit, odit lumen, ne manifestentur opera ejus.“ Si autem parati sunt se offerre ad examen expertorum, statim dijudicabuntur. Demum subjugendum esset etiam de aliis preceptis dei, de honoratione parentum, de observacione sabbati cum reliquis. Sed non est necesse, quia in sermonibus ecclesiasticis quotidie materia frequentatur. Admonendi sunt ergo quique fideles layci, ut in recta fide ambulent et in via mandatorum dei se exerceant, ab omni quoque specie impie superstitionis se abstineant, semper etiam, quod incertum est ac dubiosum, declinent, quod autem securum est, teneant, quatenus tandem post hanc erumpnosam vitam in gloriam eternam intrare mereantur per gratiam domini nostri Jhesu Christi, qui est via veritatis et vita, regnantis cum patre et spiritu sancto per secula seculorum. Amen.

Sexto decimo debet quilibet fidelis et timoratus christianus, cuiuscunque professionis fuerit vel officii, [Bl. J 1] crebro de morte cogitare et brevitate hujus vite et bonis ac simplicibus verbis invocare dominum deum, quatenus post presentis vite labores ad eternam requiem ipsum perducat.

Hec est doctrina sapientis Ecclesiastici XI: „Si annis multis vixerit homo et in hiis omnibus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis et dierum multorum, qui, cum venerint, vanitatis arguuntur preterita.“ Quam autem sit utilis ista precogitacio, ostenditur Ecclesiastici VII, ubi sic dicitur: „Memorare novissima tua et in eternum non peccabis.“ Tria enim sunt, que principaliter hominem a deo separant, scilicet superbia, luxuria et avaricia. Sed si cordialiter homo attendit mortem mox futuram, tunc faciliter se ab hiis continere potest. Nam de superbia sic dicit Seneca: Quid clienti tuo irasceris, sustine paululum! Ecce venit mors, que vos pares efficit. De luxuria Augustinus: Nihil sic revocat a peccato quam frequens mortis meditatio.

Et Ambrosius: Nudi omnes nascimur, nudi morimur, nulla est distinctio inter cadavera mortua, nisi forte, quia gravius fetent divitum corpora luxuria, distenta.“ De avaritia Iheronimus: „Facile contemnit omnia, qui se cogitat moriturum.“ Propter has tam magnas utilitates mos inolevit apud summos prelatos, ut, dum supra alias promoti fuerint, statim per aliquod signum memoria mortis ipsis imprimatur. Nam coram domino papa incenditur stappa lini cum hiis verbis: Sic transit gloria mundi. Coram imperatoribus et regibus afferuntur diversa marmora varii coloris in hac interrogatione: De quali marmore vis tibi monumentum fieri?<sup>54)</sup> Et in approbatis regionibus diverse sunt institutiones ad idem servientes. Hic dicit Ecclesiasticus VII: „Melius est ire ad domum luctus quam ad domum convivii. In illa enim finis cunctorum admonetur hominum, ut vivens cogitet, quid futurum sit.“ Querat forte hic aliquis, quare hora mortis sit incerta. Respondetur, quod propter tres causas: Prima est propter naturam humanam conservandam in vigore suo, quia, si pro certo sciret homo aliquo determinato tempore se moritum, ex hoc natura nimis debilitaretur et ad bona opera minus valeret, sicut patet in illis, qui ad mortem judicantur. Secunda causa est propter electos, qui per opera libere caritatis debent mereri vitam eternam. Mors autem necessario imminens certo aliquo tempore anxietatem nimiam in mente suscitaret, que dulcedinem divini amoris impediret et in quibusdam naturaliter pavidis penitus extingueret. Tertia causa est propter augmentum bonorum operum, sicut beatus Gregorius dicit: „Ad hoc conditor noster latere nos voluit finem nostram diemque nostre mortis esse nobis incognitum, ut, dum semper ignoratur, proximus esse credatur et tanto quisque sit ferventior in operatione, quanto et incertior de vocatione, ut, dum incerti sumus, quando moriamur, semper ad mortem parati venire debeamus. [Bl. J 2] Magna igitur diligentia preparare nos ad bonam mortem debemus, quia, ut dicit beatus Augustinus, unumquemque in quo invenerit suus novissimus dies cum hoc seculo egreditur, talis in die novissimo judicabitur. Qui autem voluerit bene mori, studiat bene vivere, quia non potest male mori, qui bene vixit

et vix bene moritur, qui male vixit. Ad bonam autem vitam requiritur continuum dei adjutorium, quod sine intermissione per devotas orationes postulare debemus. Assu-escat ergo bone voluntatis laicus, quantum potest, ut semper orationem in ore habeat, dicendo hec aut similia verba: Miserere mei, deus, sicut scis et sicut vis aut custodi me domine ut pupillam oculi, sive aliud, quod sibi devocio suggerit. Neque bene opus est aliqua subtilitate. Nam ceteris paribus homo simplex et bone vite facilius invenit puram oracionem quam literatus. Scio quandam doctissimum virum dixisse: „Ego aucute de oratione et contemplatione scribo et subtiliter dispuo, sed quando necessitas instat, tunc omnium illorum obliviscor et simpliciter invoco dominum deum sicut unus alius burista.“ Ecce nobile verbum! Et sanctus Thomas dicit, quod quietius in fide christiana ambulat justus laicus, quam subtilis philosophus. Non se ergo excusent boni rustici aut putent, quod predicta sint eis impossibilia, sed advertant, qualiter pro solatio vano in gravissimis laboribus jugiter solent homines confabulari et etiam quandocunque cantare. Si denique hoc ita est, quare non etiam possent similiter orationem saltem brevi sive mentaliter sive vocaliter proferre? Idem de cantu spiritualiter compunctivo, quod etiam mendici<sup>55)</sup> facere solent, est sentendum pro loco et pro tempore, quia omnia deum diligentibus in bonum cooperantur, sicut econtra contemporibus omnia in malum.

Porro quia oratio dominica inter omnes alias primitum tenet et est laicis magis familiaris, ideo hic pro complemento hujus opusculi eam cum quadam simplici expositione ponam: Pater noster. Qui hoc dicit, debet duo advertere, ut scilicet studeat se exhibere bonum filium, quia tunc bene inveniet clementem patrem, sin autem, virginem sentiet. Qui dicit noster, debet omnem hominem fratrem recognoscere. Alias dicere deberet: Pater meus. Omnes enim natura sumus filii unius parentis Adam, sed per gratiam sumus filii dei et immo tam gratia quam natura fratres. Sanctificetur nomen tuum. Hic aufertur superbia, que nobis est nimis infesta, quia quam cito aliquid gratie homo percipit, statius vult se magnificare. Sed

meminisci debemus illud Apostoli: Quid habes, quod non accepisti? Adveniat regnum tuum. Hic admovemur sursum corda habere et tedere hujus vite animam nostram et sitire fontem illum eterne glorie. Qui hoc desiderio non ardet, doleat, pulset, oret. Fiat voluntas tua. Hic temperatur omne spirituale desiderium nostrum, quia nescimus neque id, quod petere debemus neque tempus neque horam, quando expedit nobis accipere, quod diu postulavimus. Fiat ergo voluntas tua, domine, [Bl. J 3] quia optimus es et sapientissimus longe ultra creaturam tuam. Sicut in celo et in terra. Hic innuitur, quod summa perfectio hominis est, quod sit conformis voluntati divine. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Hic petitur omne necessarium hujus vite, tam spirituale quam corporale, sed magis spiritualia, quia etiam non pententibus deus dat temporalia, sed spiritualia nulli non desideranti. Et si dederit, hoc iratus facit, non placatus. Regula est certissima, quod nunquam aliquis intravit regnum celorum sine omni merito proprio, quia oportet ad omen minus, quod consentiat mocioni divine. Dicitur etiam hodie, quia oportet sine intermissione orare et nunquam deficere. Hoc exponens Augustinus dicit: „Non cessat orare, qui non cessat benefacere. Et tota vita justi oratio est.“ Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Hec clausula expositione non indiget, nisi forte quod hoc loquitur de debito offense. Et ne nos inducas in temptationem. Hic non petitur, ut christianus homo non sentiat temptationem, sed ut non consentiat. Non enim omnis, qui videt carcerem, inducitur in carcerem, sicut non omnis, qui videt patibulum, suspenditur in patibulum, sed ille, qui malum agit. Et sicut utile est homini, ut hujusmodi penalia sepius aspiciat, quatinus tali occasione a malo recedat, sic etiam salubre est homini, ut malas temptationes crebro sentiat, nec tamen consentiat, ut hac occasione temptationes vincere assuescat. Unde dicit beatus Augustinus, quod non est major temptatione quam nulla temptatione pulsari. Et beatus Gregorius: „Eos pulsare hostis negligit, quos quieto jure se possidere sentit.“ Sed quia sine divino adjutorio vincere non possu-

mus, immo illud in prece dominica postulare jubemur. Sed libera nos a malo. Istud etiam expositione non indiget, sed exhortandi sumus, ut, quicquid post hanc orationem nobis evenerit, sive prosperum sive adversum, totum de manu domini grataanter suscipiamus. Amen id est: vere ita est vel ita fiat. Hec conclusio est magne perfectionis et totius laboris fructus, ut videlicet pervipendamus terrena et celestia principaliter queramus. Tendit ergo tota oratio ista dominica perfectissima et dignissima ad hoc, ut inter mundanas varietates ibi nostra fixa sint corda, ubi vera sunt gaudia. Quod vobis, o venerabiles rustici, periter et nobis potenti manu concedat omnipotens et misericors deus, qui in eternitate perfecta vivit et regnat per omnia secula benedictus. Amen.

De cetero, carissimi fratres et sorores in domino confortamini et hec paucula, que scripsi vobis, corde avido percipite, neque vobis sufficiat, si ea semel aut bis legeritis, sive audieritis, sed velud animalia munda quotidie ruminante, que spiritus dei loquitur vobis per hunc qualem-cunque libellum statui vestro dedicatum. Quia si aliique fortasse occurrant, que primo intuitu non capit, ne sit vobis grave, cum et hic mos semper apud tractatores sacrarum scripturarum fuerit, ut potum cum panibus sitientibus [Bl. J 4] animabus porriger soleant, hoc est facilia cum gravioribus. Maneat pietas et revelabitur veritas. Puto tamen, sicut novi industriam vestram, si volueretis pro medietate facere diligentiam talem ad excolendam terram cordis vestri, quam facitis ad purgandam glebam agrorum vestrorum, ut fructum ferant, cito ex hiis in agnitionem voluntatis divine ac spiritualis gratie augmentum proficietis. Contribulis quoque vestris et precipue pastoriibus parochialium ecclesiarum, si desiderent, secure communicate, quia sunt principalium doctorum sententie et que non ubique eque prompte habentur aut inveniuntur. Feci enim hunc ipsum libellum per doctos et probate vite viros diligenter examinari, qui id ipsum mecum testantur. In omnibus igitur glorificemus dominum deum, a quo bona cuncta procedunt, qui sacramenta benedictae voluntatis sue nobis etiam rudibus dignatus est aperire in hiis diebus novissimis,

quod utique multis regibus et principibus ac sapientibus hujus mundi non est datum. Gratias ergo cum prompta obedientia eidem agamus de die in diem, quatenus feliciter in nobis impleatur, quod beatus apostolus Paulus ad Corintheos capitulo I ad consolationem humilium loquitur personarum dicens: „Videte vocationem vestram, fratres, quia non multos sapientes secundum carnem, non multos potentes, non multos nobiles, sed que stulta sunt mundi, elegit deus, ut confundat sapientes et infirma mundi elegit deus, ut confundat fortia et ignobilia mundi et contemptibilia elegit deus et ea, que non sunt, ut ea, que sunt, destrueret, ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus.“ Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum, qui ex deo est, ut sciamus, que a deo donata sunt nobis. Studeamus etiam nos mutuo exhortari per singulos dies et ad bona opera incitare et a malis retrahere, quoniam nihil sic deo placet et gratum est sanctis angelis, qui nobiscum semper conversantur et custodiunt nos. Hoc enim officium eorum est, ut jugiter nos ad bona provocent et quos trahere nequiunt, saltem a malo prohibent. Nam multa plura reprobi mala facerent, si per ipsos beatos spiritus non impedirentur. Angelicum igitur officium quilibet pro modulo suo implere festinet, quatenus inter angelos conversari mereatur. Revera si hoc per mille annos laboraret et aliud nihil faceret, quam ut proximum suum ad aliquid bonum provocaret, aut ab aliquo peccato retraheret, nequaquam esset condigna cooperatio tanti laboris ad hunc fructum tantillum, ut modo appareat. Ratio est, quia, quecunque fecerit homo in hac vita, sive bona sive mala, mercedem recipiet in futuro perpetuam. Qui ergo alterum ad bonum incitat, infinitum sibi premium procurat. Et qui aliquem dampnandum ab uno malo opere retrahit, ab aliqua eterna pena, licet non ab omni, eum preservat, eo quod pro quolibet peccato certa pena eternaliter mansura reprobo infligetur. Constat autem, quod finiti ad infinitum nulla est comparacio. [Bl. J 5] Unde patet, quam verum sit, quod jam dictum est, licet mirum videatur. Ita et a contrario sensu ostendi potest, quam grande peccatum sit, qui aliquem ab uno saltem bono impedit, vel ad unum peccatum trahit,

quia non habet, unde sibi tantum dampnum refunderet, eciam si totum orbem sibi dare posset. Hec vera sunt et utilia hominibus, si cordialiter attendant, quamvis plures sint, qui hujusmodi salutis monita parvipendant. Sed novit dominus, qui sunt ejus. Iterum redeo ad monendos vos, carissimos fratres et sorores ac alios venerabiles rusticos universos, ut non negligatis tempus vestrum. Ecce ego os vestrum sum et caro vestra, sine dolo, sine simulatione loquor vobis. Nihil horum cupio, que possidetis. In sincera Christi caritate aviso vos et, prout potui, desiderio vestro paravi. Et sicut vobis obedivi, ita et vos non pro mea, sed vestra salute deo obedire satagite, quatenus hoc, qualis-cunque labor in vestra conversatione fuerit, fructum inveniat salutarem. Pacem et veritatem diligite et deus pacis erit vobiscum. Nemini facite, quod vobis fieri non vultis et quod vobis fieri vultis,<sup>56)</sup> aliis pro posse libenter faciatis. Omnem supervacuam sollicitudinem abjicite et in domino sperate, quoniam ipsi cura est de vobis. Prelatos sive spirituales sive seculares tamquam dei vicarios honorate, invicem diligite, parentes revereamini, filios et filias in dei timore educate, a societate mala sicut a peste fugite. Deum timete et in preceptis ejus ambulate! Ociu[m] vitate! Sacros labores adamate! Sine intermissione orate! Beatam virginem Mariam et sanctos dei quotidie invocate et in cunctis bonis operibus vos exercete ac in ipsis perseverate, quatenus in hora mortis, que delicatis et ociosis hominibus pavenda est, vos letum eterne vite refrigerium invenire mereamini. Per gratiam domini nostri Jhesu Christi, cui vos commendo et verbo gratie ejus. Qui cum deo patre et spiritu sancto vivit et regnat per infinita secula. Amen.

## Anmerkungen.

1) Brüder, Vettern und Verwandte, die von Rolevink's Gelehrsamkeit gehört hatten, hatten ihn also gebeten, auch ihnen ein passendes Wort der Erbauung zukommen zu lassen. Was das Regimen rusticorum bietet, konnten sie aber doch kaum verstehen, wenn es ihnen etwa in niederdeutscher Übersetzung vorgelesen wurde. Vielleicht dachte Rolevink wohl eher an gelegentliche Mitteilungen aus seinem Buche durch die Landpfarrer.

2) Sollte R. wörtlich, wie Wolffgram S. 151 nach Trithemius meint, die in Köln o. D. u. J. erschienene Schrift „Regimen principum“ verfaßt haben?

3) Den sehnüchigen Rückblick nach den heimatischen Fluren, den der Stubengelehrte hier tut, darf man für echte Gefühlsäußerung halten. Einem Gelehrten, dessen Tüchtigkeit fast ganz auf seiner Rezeptionsfähigkeit ruht, wird zu Zeiten bei seiner Tätigkeit bange geworden sein.

4) Diese und andere Stellen des Regimen rusticorum, z. B. die, wo das Leben der Bauern ein purgatorium genannt wird, widerlegen die neuerlichen Schönmalereien der alten ländlichen Zustände.

5) Gemeint sind die sonntäglichen und gelegentlichen Ansprachen der Pfarrer.

6) Der Druck hat: debemus.

7) Druck: tribulus.

8) Die oft auch in deutschen Gedichten, besonders in den Schauspielen vom Jüngsten Gerichte, verwendete Stelle.

9) Vgl. Athanasius, Schutzschrift gegen die Arianer, Kap. 8.

10) Druck: viriliter.

11) Die Versuche, Karl den Großen gerade den Sachsen als besonderen Heiligen aufzudrängen, werden im 12. Jahrhundert begonnen haben.

12) Die Stelle scheint verderbt.

13) Der Druck hat: accidia.

14) Etwa in dem Sinne, wie die Nachfragen mancher Familienforscher verstummen, wenn sie auf ihren hörigen Ahnherrn gestoßen sind.

15) Antoninus. Vielleicht ist Antonin, Erzbischof von Florenz († 1459) gemeint. Macharius. Makarius der Ältere (300—390). Josaphat. Ein im 3. Jahrhundert lebender Einsiedler, unserm Autor wohl aus der Vita Barlaam et Josaphat bekannt. Asthon? Syncletes. Richtiger die im 4. Jahrhundert lebende Anachoretin Syncletica!! Brigida. Gemeint ist wohl die ältere Brigida von Schottland. Maurus, hier Ben. Maurus genannt, als Schüler Benedicti von Nursia, starb 584 als Abt zu Grandfeuil. Iudocus. Iodocus, an den R. durch das Bild in der Marienkirche zu Köln erinnert sein konnte. Arnulphus. Bischof von

Meß, als Beschützer des niedrigen Volkes. *Hildericus.* Wohl einer Legende von Karl dem Großen entnommen. *Rachis*, von 744—749, beschloß sein Leben im Kloster Montecassino.

16) Gemeint ist der Einsiedler Stephanus, der um 1076 starb.

17) Den römischen Kaiser, in dessen Reiche jedermann seinem Erwerbe und seinen Neigungen leben konnte, wenn er nicht gerade Sklave war, den kleinen Bauernpeinigern des Mittelalters gleichzustellen, ist ein Specimen von Rolevink's Beschränktheit. Die Christen, welche Paulus zur wechselseitigen Liebe ermahnt, waren zumeist gleichen Standes.

18) Über die sozialpolitischen Publizisten jener Zeit vergl. den Aufsatz von H. Werner in *Ville's Deutschen Geschichtsblättern*, Bd. V.

19) Die dünn gesäten Beispiele von Unterordnung, die unter Tieren vorkommen, müssen den mittelalterlichen Gelehrten immer wieder als Beweis für die Vernünftigkeit des entarteten Lehnsstaates dienen.

20) Rolevink ist so besangen in den mittelalterlichen Begriffen, daß er nicht einmal die ihm gewiß bekannten Stellen bei Augustinus, *De Civitate dei* XIX, Kap. 15 und des Christosthomus Predigt auf das Erdbeben und „Über Lazarus“ Kap. 7 anführen mag, weil dort gesagt ist, daß es nach Gottes Naturordnung keine Herrschaft des Menschen über den Menschen geben sollte.

21) Man sang Urkunden und Verträge in den Kirchen ab.

22) Das „ad lapides currere“ bezieht sich wohl auf Gerichtsplätze bei großen Steinen und Steinkreisen, an denen man in der älteren Zeit Recht suchte. Vgl. J. Grimm, *Die Rechtsaltertümer VI*, Kap. 2.

23) incippare, in den Stock legen.

24) Vgl. Gregorius, *Dialog. III*, 2 und IV, 30.

25) Die bekannte Flucht der Leibeigenen in die Städte.

26) Während in der Einleitung auf S. 71 vierzehn Hauptpflichten der Bauern aufgestellt waren, ist in der Ausführung die erste: „deum timere et firmiter credere“ in zwei auseinander gezogen und zwischen der fünften und sechsten: „dominis obedire“ und: „decimas solvere“ ein fünfster Abschnitt: „precipue clerum venerari“ eingeschoben. Vielleicht weist dies darauf hin, daß die nur von Denis gesammelte erste Ausgabe vom Jahre 1479 auch in der Einleitung 16 Punkte aufstellte.

27) Infirmati wohl statt infamati, Schändliche.

28) Druck: favore.

29) Vgl. die Klagen über die Gewalttätigkeiten der Leudebur gegen das Kloster St. Mauritius vor Münster bei Darpe, *Codex traditionum Westfalicarum III*.

30) bibilos, trunfächtige; execatos, statt exsecatos, entmannte.

31) met = ipsimet.

32) Ein klares Zeugnis, wogegen die Notizen über die Existenz einzelner Landschulen nicht auftreten können. Übrigens waren die Vorfahren dieses mittelalterlichen Landvolks besser daran, wenn ihnen auf der Maßstätte im Namen des Volkes deutlich gesagt wurde, was billig und recht war.

33) Im Druck fehlt: dat.

- 34) Mittelalterliche Konstruktion statt: *in corde habentes*.
- 35) Ezechiel 9, 4: „Gehe mitten durch die Stadt und mache ein Zeichen an die Stirnen der Leute, welche seufzen und jammern über alle die Greuel, die in ihrer Mitte geschehen.“ Man findet das Zeichen namentlich auf alten Glocken. In dem großen Raubzuge, welchen die Deutschen im Jahre 1147 gegen die Wenden unternahmen, bezeichneten sich die Sachsen mit diesem auf einer Weltfugel stehenden Zeichen. Vgl. Magdeburgische Schöppenchronik, herausg. von Jancke, S. 116, und Zeitschrift des Harzvereins 23 (1890), S. 494 ff.
- 36) Korn, Früchte.
- 37) Ein hülfloser Einwand! R. hätte nur Matth. 25, V. 37—39 in Betracht ziehen dürfen, wo die zur Rechten gestellt werden, die nicht einmal wußten, was gute Werke sind.
- 38) Der Druck hat: *accendant*.
- 39) Druck: *pñam*.
- 40) Druck: *Cassiorus*.
- 41) Hieronymus an Rusticus den Mönch, Kap. 14.
- 42) Druck: *juste*.
- 43) Falls Rolevink hier auch die Nalande meint, zeigt er sich wenig vertraut mit den kirchlichen Sitten im übrigen Norddeutschland, wo ja jene im 15. Jahrhundert noch existierten.
- 44) Druck: *lesivum*.
- 45) *Scholastica*, die Schwester des heiligen Benedict von Nursia. Alexius (starb um 400), der, um nicht heiraten zu müssen, aus dem Elternhause floh und unerkannt als Bettler in dasselbe zurückkehrte.
- 46) Täuschereien, Betrug, Bübereien.
- 47) Statt philocomptus, ein Liebhaber des Ruhms, ein Streber, einer der peinlich auf die Arbeit ist.
- 48) Schriftzeichen zu zauberhaftem Gebrauche.
- 49) Druck: *beatō* und *recipe*.
- 50) Handschuh.
- 51) Wohl, wie so manche Volksgebräuche, kein Aberglaube, sondern Rest von der Hygiene der heidnischen Zeit, deren Sinn das Volk selbst nicht mehr verstand.
- 52) Sie mögen die Nase nicht hochtragen.
- 53) Druck: *Omnis qui ad male agit*.
- 54) Über diesen Gebrauch vermag ich nichts beizubringen.
- 55) Die Bußlieder, die die Bettler sangen, waren wohl den Liedern der Geißler ähnlich. Vgl. Wackernagel, Deutsches Kirchenlied II, S. 329 ff. und Runge, Die Lieder der Geißler, Leipzig 1900.
- 56) Druck: *n o n vultis*.